

interpretatio in lege divina & naturali: ergo multo iustius poterit dispensatio fieri in lege humana. Consequencia est manifesta, & assumptum probatur multis exemplis. **M**aritus lege divina & naturali tenetur reddere debitum conjugale uxori petenti; si tamen maritus infirmatur, non tenetur, ut omnes Theologi docent, quia magis tenetur ad conservationem propriæ personæ, quam ad reddendum debitum. Et ita convincitur, legem divinam & naturalem in casu illo particulari non obligare. Qui votum de suscipiendo monachatu emisit, lege divina & naturali adeo tenetur ad reddendum, ut propter solam moram redditionis peccare dicatur. *Cum votum voveris Domino Deo tuo, inquit ipse Deus (Deut. 23.) non tardabis reddere, quia requirit illud Dominus Deus tuus. Et si moratus fueris, reprobabit tibi in peccatum.* Si tamen post votum emissum eveniat gravis patris indigentia ad victus sustentationem, cui filius potest succurrere, non solum licet illi, immo tenetur (ut omnes Theologi fatentur) non intrare in Religionem, quousque satisfecerit patris indigentia, etsi aliter Religionem intraret, peccaret: ut notatur in cap. si qui filii, dist. 30. Juramentum promissorium ex lege divina & naturali tenetur quisque servare, propter id quod Dominus in libro Numerorum cap. 30. ait: *Si quis virorum votum Domino voverit, aut se constrinxerit juramento, non faciat irritum verbum suum: sed omne, quod promisit, implebit.* Tamen si talis casus eveniret, qui aperte ostenderet implentionem juramenti esse majoris boni impedimentum, non solum liceret ei qui juravit, immo tenetur non implere juramentum, ut colligitur ex cap. antecessor. 11. quasi. 3. Lex naturæ docet fidelitatem in deposito, reddendo esse servandam: si tamen furiosus repetat gladium, vel qui sanæ mentis est, repetat ad patriam invadendam, non est reddendus gladius. Quia magis tenetur consulere patriæ, & domini furiosi incolumitati, quam gladium illi reddere. Ergo cum similes casus circa leges humanas occurrerint, poterit quisque, si res est manifesta, aut legem per se interpretari, aut propria auctoritate in illa secum dispensare. Si res fuerit dubia, hoc auctoritate superioris (ut Thomas docet) faciet. Quocumque autem istorum modorum fiat, probabit verum esse, quod in hac regula dicitur, legem humanam non semper & ubique eandem potestatem obligandi habere, & cognoscat in multis necessariam esse legis dispensationem, aut interpretationem. Alio qui dicit illi Sapiens: (Eccle. 7.) *Noli esse nimium iustus.* Et iterum: (Proverb. 30.) *Qui vehementer enungit, elicet sanguinem.* Et poeta Comicus dicit: *Summum jus, summa injuria.* Et certe, qui ita faciendum esse noluerit credere, in multa absurda & animæ suæ noxia incidet, & sæpe adeo perplexus erit, ut quocumque se verrat, necessario in culpam aliquam incidat, cogente illum ad hoc conscientia illius erronea.

Sextum documentum. Lex humana iusta, etsi non semper obliget sub interminatione gehennæ ad faciendum id, quod per illam decernitur, semper tamen sub hac interminatione obligat, ne lex illa contemnatur. Ut autem hæc regula apertior fiat, & sic ejus veritas clarius pateat, oportet prius declarare quid sit contemptus. De qua re aliter juris humani periti, aliter Theologi sentiunt. Joannes Andreas in cap. saceris, de his quæ vi metusve causa fiunt, videtur dicere, frequentiam actuum esse quemdam contemptum. Nam dicit eum, qui frequententer communicat cum excommunicato, peccare mortaliter, propter solam frequentiam: quod non dixisset, nisi putaret ralem frequentiam esse contemptum dicendam. Collectarius in

cap. 1. de constitutionibus, dicit, omnem illum peccare ex contemptu, qui ex frequentia legem transgreditur. Quæ sententia nimis scrupulosa mihi videtur, & constat illam procedere ex ignorantia significationis hujus vocis, contemnere. Et ut falsitas hujus sententiæ clarius constet, peto quot actus sufficiunt facere frequentiam. Si forte dicas sex, aut octo, aut decem, & non minus; clarum est, quod quintus actus est ejusdem speciei in genere moris cum actu 6. & 7. cum 8. 9. & cum 10. quia sola iteratio actus non variat speciem, si nihil aliud ex parte operantis addatur, quod faciat ex veniali mortale. Et inde aperte sequitur, ut si primus actus non erat peccatum mortale, nec decimus actus sit dicendus peccatum mortale, nisi aliud ultra reiterationem addatur. Deinde, multa sunt venialia ex genere suo, sine quibus vita hæc misera agi non potest, propter nimiam hominis fragilitatem & de quibus Sapiens ait: (Prov. 24.) *Septies in die cadit iustus.* Si frequentia faceret mortale quod alias erat veniale, sequeretur etiam, non posse hominem in hac vita diu esse sine peccato mortali, etiam cum communi gratiæ baptismalis auxilio. Quia etiam cum illius adjutorio septies homo cadit in die. Fateor quidem, ipsam frequentiam disponere ad contemptum, proat beatus Thomas docet in secunda secundæ, questione 186. art. 9. in responsione ad tertium. Et sic intelligendum dicitur illud Salomonis (Prov. 18.) *Impius cum in profundum venerit peccatorum, contemnit.* Et juxta hunc modum ego etiam intelligendum puto, quod Augustinus ait: Ebrietas si assidua fuerit, inter mortalia deputatur. Et eodem modo intelligo illud ejusdem Augustini, quod citatur à Gratiano in cap. Verum orarium, §. criminis appellatio, distinctione vigesima quinta. Nul- lum peccatum est adeo veniale, quod non fiat mortale, dum placet. Hæc omnia ideo Augustinum dixisse censéo, quia ipsa peccati venialis frequentia, viam aperit latissimam, per quam peccatum mortale intrat in animam. Non enim hoc ideo dicit Augustinus, quia putaverit solam frequentiam actus sufficere, ut quod alias erat veniale, fiat mortale. Sed quia fieri non potest, quin is, qui frequenter inebriatur, aliquando sciens & volens inebrietur: quod cum eveniret, sine dubio erit peccatum mortale. Quia cum sæpe expertus fuerit virtutem vini, & suam fragilitatem, noluit a vino abstinere. Ideo forte potuit esse, ut hi jurisperiti, quos proxime citavimus, dixerint frequentiam transgressionis legis esse contemptum interpretativum tantum. Sed si ita senserunt, convincitur adhuc falsam esse illorum sententiam, qua docent, talem frequentiam esse dicendam peccatum mortale. Quoniam etsi in foro exteriori multa ex sola presumptione agantur; in foro tamen conscientia nihil ex sola presumptione agendum est, sed semper juxta veritatem, quæ merito præfertur presumptioni; Archidiaconus in cap. excellentissimus, undecima questione dicit eum qui sine causa communicat excommunicato, communicare ex contemptu. Quæ sententia multo durior & falsior mihi videtur, nisi forte nomine causæ intelligat ignorantiam, & infirmitatem, sive carnis concupiscentiam: ita ut omne peccatum, quod committitur ex certa scientia, & sine carnis concupiscentia, dicatur peccatum ex contemptu. Sed si hoc tale dicatur semper esse mortale, falsa erit sententia: quia aliquid mendacium jocofum aut officiosum potest dici ex deliberatione, & sine ulla carnis sollicitatione, quod tamen nullus umquam sapiens fatebitur esse mortale. Theologi rem hanc, & veram vocabuli significationem diligentius scrutantes, longe aliter sentiunt. Guillelmus Altifiodorensis lib. 2. suæ sum-

summæ Theologicae, tract. 19. & 20. & lib. 3. tract. 9. distinguit varios modos, quibus aliquis dici potest contemnere. Primo modo dicitur rem contemnere, qui illam non juxta illius valorem, & meritum æstimat; & juxta hunc modum (ut ille ait) sumitur, cum dicitur, quod humilis seipsum contemnit, & quod superbus contemnit alios. Et sic dicit aliorum contemptum, juxta hanc significationem, esse speciem superbiæ, & contemptum sui esse speciem humilitatis. Secundo modo, contemnere idem est, quod alteri indignari, & illum convitiis afficere: & juxta hunc modum contemptus dicitur, quod contemnere alium, sit vitium pertinens ad impatientiam. Hos duos modos assignat prædictus Doctor, libro secundo, tract. 19. ubi disserit de superbia in se. Tertio modo, contemnere idem est, quod nolle alteri subijci. Quarto modo, idem est, quod transgredi præceptum, & non obedire, quod modo sæpissime utitur scriptura sacra, cum Deus dicit, se à peccatoribus contemni propter hoc solum, quod præceptum illius non obediunt. Nam in Levitico, cap. 26. volens Dominus ostendere populo afflictiones, quæ venturæ erant super illum, si mandata ejus non servasset, ait: *Si non audieritis me, nec feceritis omnia mandata mea: sed spreveritis leges meas, & judicia mea contempseritis, ut non faciatis ea, quæ à me constituta sunt, &c.* In quibus verbis aperius dicit Deus, omnes peccatores contemnere leges suas, quia non obediunt illis. Et apud Salomonem sapientia divina omnibus peccatoribus dicit: (Prov. 1.) *Vocavi, & renuistis, extendi manum meam, & non sicut qui aspiceret. Desprexistis omne consilium meum, & increpationes meas neglexistis.* Hos duos ultimos modos contemptus reddidit idem Doctor eodem lib. 2. tract. 20. ubi disserit de superbiæ, & dicit contemptum, juxta has duas significationes, esse filiam superbiæ, propterea quod à superbiâ oritur, ut quis nolit subijci suo superiori, aut nolit leges illius, aut præcepta servare. Joannes Gerson, lectione 5. de Vita animæ spirituali, citat sententiam hujus Guillelmi Altifiodorensis, circa significationes contemptus, & post illum Adrianus Papa, in quodlibeto sexto, art. 2. & (ut ingenue vera loquar) nullus illorum vere Altifiodorensis sententiam citat: & unus alteri in citatione non consentit. Joannes Gerson refert tres modos contemptus. Adrianus refert quatuor, & ambo referunt unum modum, qui nec nominatur ab Altifiodorensi, & est rem negligere, & eam non curare. Ideo ego loca, in quibus Altifiodorensis de hæc re disserit, citare decrevi, ut quicumque illum legere voluerit, clare agnoscat verum esse quod dico. Idem Altifiodorensis libro tertio, tract. 9. disserens de mundi contemptu, ponit quatuor modos, quibus mundus potest contemni, qui aliquo modo differunt ab his quatuor supra nominatis, sed nostro proposito non conveniunt. Hujusmodi variis contemptus significationibus offensus, Joannes Gerson, quem in hac parte sequitur Adrianus, loco proxime citato, dicit, quod solus contemptus, qui est nolle subijci, est peccatum mortale, sive sit contemptus legis humanæ, sive præcepti humani. Et hæc istorum sententia videtur sumpta ex B. Thoma, qui in illo loco supra citato, hæc ait: *Tunc committit aliquis, qui vel transgreditur ex contemptu, quando voluntas, ejus renuit subijci ordinationi legis, vel regulæ: & ex hoc procedit ad faciendum contra legem, vel regulam.* Quando autem è converso propter aliquam particularem causam, puta concupiscentiam, vel iram, inducitur ad aliquid faciendum contra statuta legis, vel regulæ, non

peccat ex contemptu, sed ex aliqua alia causa, etiam si frequenter ex eadem causa, vel alia simili peccatum iteret. Hæc Sanctus Thomas. In quibus verbis id annotandum est, quod, ut quis dicatur legem transgredi, ex contemptu, requiritur contemptum esse causam illius transgressionis, à quo, tamquam à causa illa procedat, & non satis est si contemptus simul addit cum ipsa transgressionem, taliter quod contemptu secluso, nihilominus legem, aut præceptum transgrediretur, quemadmodum Aristoteles 3. Ethicorum dicit de eo, qui peccat ignorantia concomitante, sed non ex ignorantia tamquam ex causa. Hæc omnia, etsi optime dicta esse censeam, non tamen plene satisfaciunt proposito regulæ sextæ per me nunc datæ. Quoniam sicut possibile est transgressionem legis, aut præcepti esse sine contemptu, ita è contrario possibile est, ut contemptus sit sine transgressionem. Possibile enim est, ut legem, aut præceptum quis servet, & contemnat legem, aut legislatores, aut præceptum, aut præcipientem. Ideo de ipso contemptu, prout haberi potest, seclusa omni transgressionem, disserere volo, quoniam de illo solo loquitur regula nunc per me data. Talis autem contemptus potest haberi, aut de sola lege, vel præcepto, aut de ipso legislatore, vel præceptore, & uterque contemptus potest ab altero separari, ut constat. Et de utroque istorum potest haberi contemptus, juxta illos duos primos modos, quos supra ex Altifiodorensi citavimus. Nam alii duo posteriores non servantur nostro proposito, quia illi duo (ut notum est) non possunt haberi sine legis, aut præcepti transgressionem. His prælibatis, quas ponam conclusiones, ex quibus quidquid ad hanc rem spectat, facile colligi potest.

Prima conclusio. Prælatum, quatenus prælatus est, non potest sine peccato mortali contemni, sive sit minus illum quam oporteat apprehendiendo, sive illi indignando, aut illi convitiis inferendo. Dixi quatenus prælatus est, ut per hoc ostenderem, talem contemptum dirigi ad ipsam prælationis dignitatem, & non ad personam prælati. Hæc conclusio probatur per id, quod Salvaor ait: (Luc. 10.) *Qui vos spernit, me spernit.* Quæ verba, non de personis prælatorum (ut mox dicemus) sed de ipsa prælatione intelligenda sunt. Quoniam cum illa prælatio (ut Paulus ad Romanos, cap. 13. ait) sit à Deo instituta, quisquis illam contemneret, Deum illius institutorem contemnere videretur. Ideo Christus Salvaor noster Cayphæ, quamvis pessimo Pontifici, & Pilato malo & idolatræ Præsidi, reverenter loquutus est, propter solam prælationem, quam tenebant dignitatem. Qua in re exemplo suo nos docuit, ut præpositis nostris justam exhiberemus reverentiam. Si quis prælationem ipsam minus quam oportet, appreciaret, aut illam irreverenter tractaret, talis contemptus erit dicendus peccatum veniale, aut mortale juxta qualitatem appreciationis, aut irreverentiæ. Si quis Papam contemneret, æstimando illum esse prosum æqualem cæteris Episcopis, aut Episcopum contemneret credens illum penitus æqualem cæteris Presbyteris, peccaret mortaliter, nec leviter, cum ob hoc solum esset, censendus hæreticus. Si tamen forte minus quam illa sit, æstimaret prælationem alicujus, propterea quod nondum esset sibi plene manifesta potestas illius, tunc nullum, aut forte levissimum peccatum committeret. Et eodem modo distinguendum est de irreverentiâ levi, aut gravi, ut juxta le viritatem, aut gravitatem ipsius, dicatur contemptus talis peccatum veniale, aut mortale.

Secunda conclusio. Prælatum, quatenus talis personæ



per cervicem discipulorum, quod neque nos, neque patres nostri portare potuimus? Consequenter inde forte putabit arguens esse manifestam, quia in lege Evangelica fur diurnus jubetur occidi, qui in lege Moysaica nequaquam morte puniebatur. Haec autem obiectio facillime rejicitur, & convincitur nullius roboris esse, per hoc, quod lex Evangelica neminem jubet occidi, immo quod majoris mansuetudinis est argumentum, nec rationem reddi iussit. Quia licet humanae leges post datum Evangelium furem occidi jubeant, hoc tamen non ex praecepto Evangelii, nec contra illius prohibitionem, sed ex sola illius commissione faciunt. Nam circa poenam mortis insipientiam, lex Evangelica solum legem naturalem nobis reliquit, ut is, qui potestatem habet, mortem pro eo crimine inferri jubere, quod ex lege naturae constat esse morte plectendum. Crudelestas igitur, si talis dici meretur, non legi Evangelicae, sed potius legi naturae adscribi debet, quae in furis diurni punitione majorem rigorem exercet, quam olim lex Moysaica. Nec sine causa lex illa vetus, quae tantum rigorem in aliorum criminum punitione exercuit, in furis diurni punitione rigorem suum temperavit. Nam cum lex illa soli populo Israel data sit, juxta illius populi mores & inclinationes fuit à legislatore ordinata, & ideo illa crimina, ad quae populus fuerat pronus, ut sunt idolatria, blasphemia, rebellio, schisma, acerbior rigore punire decrevit, ut poenarum metu à talibus criminibus detereretur. Furtum vero, quia ad illud non sic erat populus ille proclivis, non tanto rigore punire decrevit. Postea vero, quia successu temporis furta in populo illo frequentiora erant, sapientissimus Salomon poenam legis augere decrevit. Nam lege ab eo statuta (ut ex Proverbiorum libro constat) qui aliquid furatus fuisset, si deprehensus fuisset, septuplum reddere, & omnem substantiam domus suae tradere jubebatur: cum tamen lege Moysaica pro bove furtivo solum quinque boves, & pro una ove solum quatuor oves reddere jubebatur. Nunc igitur, cum tanta sit furum copia, & multi ad furtum tam proclives, ut nullo poenarum metu à furis abstineant, oportuit poenam mortis contraincorrigibiles statuere. Incorrigibiles autem non ex sola furis frequentia censentur, sed etiam ex magnitudine rei furtivae per juris praesumptionem (ut diximus) judicantur. Nam etsi ex sola hominis praesumptione nemo possit ad mortem damnari, ex juris tamen praesumptione hoc in multis casibus fieri jubetur. In lege Moysaica fur nocturnus occidebatur impune, non ob aliam causam, quam quod praesumebatur invasor, & paratus ad occidendam eum, qui res suas defendere velle. Quae praesumptio, quia non iuste habetur contra furem diurnum, ideo ille prohibebatur occidi. Ex jure canonico constat dupliciter haereticum posse ex sola juris praesumptione censeri relapsum, ut patet in cap. Accusatus, de haereticis, lib. 6. Qui autem sic relapsus judicatus est, potestati seculari traditur ad arbitrium illius puniendus, quem semper illa, si vere Catholica est, & zelo Dei fervet, ad mortem damnare solet. Juxta ea quae diximus, intelligendus est (ut ego existimo) Alexander de Ales, & qui illum in hac parte sequutus est doctor subtilis Scotus, qui dicunt neminem pro simplici aut solo furto posse licite occidi. Simplex aut solum furtum (ut ego censo) illud ab omnibus, quod nullam habet circumstantiam notabiliter aggravantem: & pro tali dicunt, neminem esse morte plectendum. Si autem quis contendat illos non intuisse, ego pro hoc re cum nemine contendam, sed potius dicam, me illis non consentire, si illi sententiam non esse licitam occidere aj-

quem pro simplici furto, nisi ille sit invasor. Ego enim sentio, juxta communiorum Theologorum opinionem posse hominem occidi pro simplici furto, quod gravem aliquam habet circumstantiam. Si vero nullam habet gravem circumstantiam, durissimum puto & nimis crudele, si pro illo quis occidatur. Et de tali furto intelligendum est edictum Justiniani Imperatoris, qui in Authentica Ut nulli iudicum, §. Quia vero, collatione nona, sic ait: Pro furto autem nolumus omnino quodlibet membrum abscindi, aut mori, sed aliter eum castigari. Haec ille. Ceterum si furtum habeat circumstantiam notabiliter aggravantem, jam non dicitur simplex aut solum furtum. Magnitudo rei furtivae, etsi non mutet speciem furci, illud tamen eo magis aggravat, quo majoris valoris & aestimationis est res furtiva. Idem faciunt forti frequentia, dignitas etiam loci, in quo commissum est furtum, & magna rei furtivae necessitas, etsi quae aliae similes circumstantiae furto contingere possunt. Furtum, quod aliqua ex his circumstantiis vestitur, non simplex nec solum furtum dicitur, sed furtum cum homicidio, aut cum incorrigibilitate, aut cum contumacia, aut cum contemptu & irreverentia loci sive personae. Et propter has circumstantias adjunctas poterunt poenae augeri usque ad membri abscissionem, immo etiam usque ad mortem juxta circumstantiae gravitatem. Et ideo Imperator Justinianus diversam à praecedente de hujusmodi latronibus legem statuit. Nam in illa proxime citata Authentica, post illam legem de furto simplici statam, statim de aliis furibus hanc, quae sequitur, statuit legem. Eos vero, qui violenter aggrediuntur, aut cum armis, aut sine armis in domos, aut itineribus, aut in mari, poenis eos legalibus subdi jubemus. Haec ille. Et de omnibus talibus intelligendum est, quod dicitur in leg. Capitalium, §. Famulus, ff. de poenis. Nam famosi latrones (ut ego censo) non solum dicendi sunt illi qui frequenter furtum iteraverunt, aut magnam aliquam partem furtum commiserunt, sed omnes illi, qui furtum notabiliter aliqua, & multum aggravante circumstantia vestierunt.

Quod haecenus de poenis corporalibus diximus, & eas juxta mensuram delicti esse à lege statuendas, aut à Judice insidendas, de poenis etiam spiritualibus intelligendum esse volo, ita ut minori & leviori culpa: numquam gravior esse velle, ita ut minori & leviori culpa: numquam gravior aut acerbior imponatur poena spiritualis. Nisi forte ratione medicinae illa insidetur (ut de poena corporali supra diximus) ad terrorem multitudinis incutiendum, ut quae ex unius exemplo ad peccandum provocata fuit, unius etiam acerba punitione à peccato revocetur. Et tanto magis necessarium est, hanc delicti mensuram in poenis spiritualibus insidendis diligenter considerare, quanto graviores sunt poenae spirituales, quam corporales. Ex qua sententia apertissime convincitur, pessimum esse abusum, qui jam passim apud multos Ecclesiae prelatos inolevit in excommunicationibus, quas passim pro levibus furis inferunt. Nam cum Ecclesia non habeat acerbiorum & acutiorum gladium, quo rebelles & indomitos ferire possit, quam excommunicationem, aequum esset, & rationi consentaneum, non passim, & pro quovis crimine illum evaginare, & quemcumque peccatorem illo ferire. Quoniam hac sola occasione excommunicatio, licet gravissima sit poena, jam contemnitur, & fere pro nihilo ab omnibus habetur: quae si nimium rara esset, & non nisi pro gravissimo crimine insidetur, multo magis estimaretur, & timeretur. Nec valet excusatio, quam aliqui Episcopi ad velamen tam pessimi abusus mihi, dum essem in Concilio Tridentino, obtulerunt, dicentes: tales excommunicationes

nes non propter leve furtum, aut propter aliam similem causam inferri ab eis, sed propter contumaciam & rebelliam inobedientiam. Multum siquidem interest (ut recte docet Joannes Gerson lectione 4. de vita spirituali, corollario 7.) inter unam & alteram contumaciam. Oportet enim considerare qualis sit contumacia, & quantum illa possit Ecclesiae nocere, & qualis est etiam res circa quam habetur contumacia. Nam multo peior & nocentior est in rebus fidei & religionis, & pacis & unionis Ecclesiae, quam in parva, quaestione super modica re temporali orta: ubi nunquam tantum poterit professe obedientia, quantum oberit excommunicatio, separans animam à spiritualibus fragilis, & societate Sanctorum. Si contumacia est magna, & pro re magis momenti habita, erit juxta doctrinam Salvatoris nostri merito excommunicandus. Si vero contumacia est levis, aut pro re levi habetur, indignum putarem, ut pro illa sit aliquis excommunicandus. Nam qui pro modica re evitanda aut propulsanda, statim vellet excommunicationem infligere, perinde faceret, ac si à fronte alicuius hominis volens muscam abigere, eam securi percuteret, majus sic inferens homini damnum, quam illi inferret musca, si illam in fronte permitteret. Stultum certe est, majoris damni periculo se obijcere ad evitandum minus. Et ob hanc causam Joannes Gerson in illa lectione 4. de vita spirituali, corollario 14. dicit, expediens sibi videtur, si nulla sententia excommunicationis inferatur, nisi propter contumaciam habitam in rebus spiritualibus. Nam cum excommunicatio sit gladius pure spiritualis, videtur ei non esse illam assecutam abjectionem rerum temporalium. Quoniam (ut ait) res temporales non debent conservari vel repeti cum gravi incommodo eorum à quibus repetuntur, quam sit utilitas proveniens ipsis repetentibus. Deinde, quia Ecclesia non debet acerbius punire delinquentes civiliter & in rebus temporalibus, quam saecularis potestas similiter delinquentes punit. Contrarium tamen evenit, dum propter contumaciam habitam in causa rerum temporalium, Judex Ecclesiasticus incarcerat & ligat eum gravissimis excommunicationis vinculis: Judex vero saecularis sola corporum animadversione punit, & illa sola contentus est. Et hanc eam sententiam confirmo testimonio Leonis Papae, hujus nominis primi, qui epistola 87. scribens Episcopis per Provinciam Viennensem constitutis, haec ait: Nulli Christianorum facile commateno denegetur, nec ad indignantis fiat hoc arbitrium: sed, quod in magni reatus alicuius invidus & dolens: quodammodo debet inferre animus vindicantis. Cognovimus enim pro commissis & levibus verbis quosdam à gratia communionis exclusos, & animam pro qua Christi sanguis effusus est, irrogatione tam sevis supplicii fauciatam, & inermem quodammodo exutamque omni unanime, diabolicis incurfusibus, ut facile caperetur, obiectam. Certe si quando causa talis emerferit, ut pro commissis criminis qualitate aliquem faciat iuste, communionem privari, is tantum poenae subdendus est, quem reatus involvit, nec particeps esse supplicii, qui concors non docetur commisi. Haec Leo Papa, vir sanctitate perinde ac doctrina clarus. In cujus verbis, quid ad hanc rem pertinet, breviter & aperte continetur.

Haecenus de ipsis legibus penales differimus, nunc de illarum executione parum aliquid dicere statui. De qua re duo mihi parva dubia occurrerunt, quibus respondere oportet. Primum oritur ex varietate legum penalarum, quae successu temporis saepe mutari solent per augmentum

aut diminutionem poenae. Si igitur post crimen aliquod commissum, lex, quae poenam certam contra illud crimen statuerat, mutaretur ante illius criminis punitionem, dubium est quae poena tale crimen debeat puniri: an poena, quae erat statuta, tempore quo tale crimen commissum est, an poena quae per posteriorem legem sancita est, quae scilicet viget eo tempore quo crimen puniendum est. Hinc dubio Bartholomaeus sequutus Abbas, respondet in cap. fin. de constitutionibus, distinguendo de poena ordinaria & extraordinaria. Si poena est ordinata, dicit in illa imponenda habendum esse respectum ad tempus, quo crimen commissum est: & de hac sola poena intelligendum esse censet, cap. fin. de sentent. excommunicationis, & leg. 1. ff. de poenis. Si vero est poena extraordinaria, quae (ut supra diximus) potest ex causa justa minui vel augeri, tunc dicit considerandum esse tempus sententiae, & non delicti. Alterum dubium est de crimine, cui non est à jure specialis aliqua poena decreta, sed solum in genere praecipitur, ut à Judice puniatur, quaeritur de hoc crimine, quae poena puniendum erit. Hanc dubitationem solvit Abbas in cap. Ex literis, de constit. dicens, tale crimen esse puniendum poena illa, quae juxta consuetudinem patriae solet tali crimini imponi, & si consuetudinem illam exceperit Judex, dicit illum iniuste agere. Pro qua sententia adducit leg. Hodie, ff. de poenis, prout lex illa ab Accursio ibi exponitur. Sed revera textus illius nullo pacto huic sententiae servit, nec Accursius recte illic interpretatur. Nam cum Ulpianus in illa lege dicat, Judicem in punitione delicti nunquam debere excedere rationem; Accursius hanc vocem, rationem, interpretatur per vocem, consuetudinem: & ita videtur Accursio idem esse non excedere rationem, & non excedere consuetudinem. Quam distorta & à littera aliena sit haec expositio, qui philosphiam moralem, & propria illius vocabula vel medioerit intellexerit, facile agnoscat. Rationem illo loco Ulpianus accepit, pro judicio intellectus. Rationem igitur in punitione delicti non excedere, est non punire illud crimen majore poena, quam rectum judicium rationis judicaret esse puniendum. Rationem excedere, est ultra mensuram delicti punire. Nam recta ratio in punitione delicti, est illa quae à Deo declaratur, (Deut. 25.) dicente: Pro mensura delicti erit & plagarium modus. Fateor: quidem rationem esse, ut consuetudo bona servetur; non tamen ideo consequens erat, ut generale nomen rationis, quod in illa lege ab Ulpiano positum erat, ad solam consuetudinis rationem restringeretur. Male certe interpretatur, qui genus aliquod per unam & forte minimam illius speciem exponit. Si nulla haberet de punitione criminis consuetudo, nec per legem est poena aliqua pro tali crimine expressa, tunc dicit Abbas illius criminis poenam esse Judicis arbitrio commissam. Et in hoc casu (ut ego censo) disponit illa lex Hodie, proxime citata, ita ut tunc Judex ex arbitrio suo puniens, non excedat rationem, hoc est, non graviores poenam inferat, quam delictum. Et certe si bene verba legis advertantur, constabit clare illam disponere in casu, ubi nulla est consuetudo poenae, sed tota illa ex judicio pender. Nam dicit licere Judici, quam voluerit, sententiam ferre, vel graviores, vel leviores. At si consuetudo esset de certa aliqua poena insidenda, jam non liceret Judici ex arbitrio suo poenam infligere, sed teneretur consuetudinem servare. Tunc igitur quando ex arbitrio Judicis pendet punio, non debet ille rationem excedere, pensaris tamen bene omnibus delicti circumstantiis, praesertim loci, temporis, & personae. An autem Judex, cum ex illius arbitrio



qui (ut communi Theologorum proverbio dicitur) semper punit citra condignum. Pro qua re iuste exequenda, oportebit prae oculis semper habere sententiam Marcelli Jurisconsulti, quae sub horum verborum contextu habetur in leg. Respicendum, ff. de Poenis. Respicendum est iudicanti, ne quid aut durius, aut remissius constituitur, quam causa deposcit. Nec enim aut severitatis, aut clementiae gloria expectanda est, sed perpenso iudicio, prout quaeque res exspectat, statuendum est. Plane in levioribus causis priores ad lenitatem iudices esse debent: in gravioribus poenis severitatem legum cum aliquo temperamento benignitatis subsequi. Haec ille.

Pœna mortis non nisi pro valde gravi delicto, & quod vehementer reipublicae nocere possit, statuenda est. Alia etiam pœnae semper juxta delicti mensuram, quae potissimum ex proximi nocimento, aut publicae pacis turbatione capiatur, sunt infligendae. Qualiter autem poenarum diversitas statuenda sit, congrua, & aptissima similitudine à corpore humano sumpta, optime doceri potest. Cum alicui corpore humano laeso, & male habenti vult subvenire Chyrurgus, & mederi, non statim membrum illud laesum, quod corpori quovis modo nocet, à corpore abscindit, nisi tam putridum sit, aut tam male habens, ut iuste timeatur ex conjunctione sua, facile aliis membris posse nocere. Nam si pars illa corporis infecta, non est adeo corrupta, ut in corpore manens, possit aliis membris valde nocere, illam servare nititur, & levioribus, quibus potest, remediis, juxta vulneris qualitatem illi mederi procurat. Nunc oleo, nunc vino, nunc mordaciori, & corrosivo unguento, nunc adustione curat. Quae in re, ars haec (ut constat) ipsam imitatur naturam, quae nisi aliunde, propter aliud majus damnum evitandum, coacta sit, semper omnia servare conatur. Ad eundem profus modum, in quavis humana, & mundana republica, quae corporis humani similitudinem gerit, faciendum est: ita ut legislator, qui in hac parte Chyrurgum imitatur, nullum hominem, quamvis reipublicae noxium, à toto communi corpore per mortem naturalem aut civilem auferat, vel auferri jubeat, nisi illius culpam tam gravem esse censeat, ut si vivere permitteretur, in grave totius reipublicae damnum cederet. Alios autem D sceleratos homines, qui suis delictis leve, aut non multum grave damnum inferunt reipublicae, citra poenam capitis leviter, aut graviter, juxta delicti mensuram, punire oportebit. Ad rectam vero delicti mensuram capiendam, non solum inspicienda est nuda delicti qualitas, sed omnes delicti, & delinquentis praecipuas circumstantias considerare oportet: quoniam illae saepe solent culpam augere, aut minuire, aut profus tollere, prout dicitur in l. Respicendum, §. Delinquent, ff. de Poenis. Qua consideratione facta, intelliget iudex æquum esse, & necessarium poenam legis minuere, propter particulares aliquas delicti, aut delinquentis circumstantias occurrentes. Nam (ut notat glossa in l. Quid ergo §. Poena gravior, ff. de His qui notantur infamia) potest iudex poenam legis minuere ratione ætatis ipsius delinquentis, ut puta quia senex, aut puer est, ut dicitur in l. Auxilium, §. In delictis, ff. de Minoribus, & in cap. fin. de Sentent. Excommunic. Ex circumstantia delicti etiam potest minuire poenam, cum videlicet cognoscit delictum esse sine dolo perpetratum, leg. Absentem, §. fin. & l. Respicendum, §. Delinquit, ff. de Poenis. Potest etiam iudex ex causa adeo augere, ut merita delicti transcendat, ut quando ex unius delicto multi alii occasionem sumpserunt

ad simile delictum committendum. Tunc enim necessarium est, ut illius delicti poena exacerbetur, quia nimium multis personis grassantibus exemplo opus est, ut dicitur in l. Aut fact. §. fin. ff. eodem titulo. Quod dictum ego ita intelligendum puto, ut in uno solo, aut forte duobus, aut tribus delinquentibus sit poena exacerbanda, non in tota multitudine, nisi forte illa rebellis esset, & peccatum suum agnoscere recusaret, sed potius velut rem bene gestam defendere conaretur: quia tunc etiam contra totam multitudinem poenam augere oporteret, praesertim si ipsa multitudo in viribus suis confidens, inde majorem ad peccandum audaciam sumit. Si vero multitudo quae deliquit, peccatum suum agnoscens sit, congruam poenam subire parata, non solum non erit poena augenda, sed potius è contrario erit minuenda. Quia multitudini parcendum est, ut dicitur in cap. Latores, de Clerico excommunicato, vel deposito ministrante, & in cap. fin. de Transact. & in cap. Comestrationes 44. distinct. & in cap. Ut constitueret 50. distinct. & in cap. Quoties 1. q. 1. Quando autem poena (ut diximus) ultra mensuram delicti augetur, tunc poena non habet solam punitionis rationem, nec ad solam delicti punitionem infligitur, sed etiam ad medicinam ipsi delinquenti, & aliis qui illius exemplo peccare possent, ut videlicet ipse delinquens, cautius in posterum vivat, & alii illius periculo sapiant, & à simili seelere abstinere procurent. Nam (ut ait Salomon, Prov. 19.) *peffilente flagellato stultus sapientior fit.* Ob hanc causam Deus, qui ultimam poenam post mortem peccatori dandam (ut in Deuteronomio statuit, cap. 25.) semper juxta delicti mensuram infligit, in praesenti tamen vita saepe minus, & levius peccatum, quia frequenter iteratum, aut quia ad illud major est pronitas gravius punit, ut tantae poenae timore ipse delinquens terreatur, & diligentius deinceps vivat, & alii à similibus scelerum perpetratione abstineant. De hac re apertissimum praebet testimonium illa tam severa puniitio Dathan & Abiron, qui propter schisma, quod adversus Dei Sacerdotes suscitaverunt, vivi à terra absorpti sunt. Quod autem illa poena, non solum ad delicti punitionem, sed etiam ad medicinam aliorum inflicta sit, aperte convincitur per hoc, quod thuribula eorum quae absorpti sunt à terra, iussit produci in laminas, & affigi altari, ut cernerent illi pro signo, & monumento filii Israel. Et merito ad aliorum exemplum in memoria servari jubentur, quia populus Judaeorum (ut dicitur in 1. Eldrae, cap. 4.) ad seditionem, & schismata fuit semper proclivis. Ad eundem modum propter similes causas possunt iudices poenas ultra delicti mensuram augere, non tamen possunt eas lege perpetua statuere, quia de his, quae raro accidunt, leges non statuuntur, ut dicitur in l. Ex his, & in l. Nam, ff. de Legibus. Verum hic lectorem admonere decevi, ut non pueri iudicium posse poenam ultra meritum culpae adeo augere, ut morte quae alias jure non debebatur culpae, possit quacumque etiam causa interveniente, aliquem iuste punire. Quoniam non licet iudici mortis supplicio aliquem punire, nisi in solis illis casibus in quibus ex sacris literis colligi potest, esse illi à Deo concessum. Nam cum solus Deus sit Dominus vitae & mortis, solus qui occidere potest, & vivificare, solus qui vere dicere potest: *Ego occidam, & ego vivere faciam*, ideo solus ille est, qui potest pro arbitrio suo, quem voluerit, iuste occidere. Ceteri autem omnes nunquam hoc licite possunt, nisi quando à Deo, qui supremus est Dominus, est illis permittum. Lege siquidem divina prohibuit esse

oc-

occidere hominem: (Deut. 3.) & inde sequitur, ut nullus Iudex possit aliquem hominem occidere, nisi pro illis peccatis, pro quibus est illi à Deo concessum. Quia inferior non potest aliquid contra legem superioris statuere, vel illam quomodolibet violare. Et hinc apertissime deducitur, tyrannos esse eos Principes, qui pro levissima causa, ut puta quia cervum in sylva sua inclusum quis occidit, statim illum morte punire jubet, pluris cervum quam hominem existimantes. Ex eadem etiam radice convincitur, quosdam Iudices tyrannice agere, qui cum scelestum aliquem hominem, alicujus gravis flagitii patratorem, capere non possunt ad mortem, alios qui minimam delicti occasionem dederunt, morte, quam non merebantur, punire non verentur, ut vel hac via se aliis terribiles faciant. In lege veteri per Moysen data, multa fuerunt causae expressae, propter quas tunc homines morte puniebantur. In lege evangelica, quae est lex gratiae & multo mitior, sola una causa exprimitur, quae est homicidium, propter quod Christus Salvator noster iustitiae ministris occidendi potestatem dedit per Matthaeum Apostolum cap. 26. sic dicens: *Omni qui occiderit gladio, gladio peribit.* Nec tamen ob hoc prohibuit, ut pro nullo alio casu quis possit occidi. Quia licet omnia praepcepta iudicialia fuerint per Christi mortem revocata, non tamen sic revocata sunt, ut censentur fuisse injusta: sed quia noluit Deus homines deinceps ad illa obligare, quamvis olim fuissent iuste mandata. Absurdum enim & haereticum esset dicere, aliquam legem earum, quae olim per Moysen datae sunt, fuisse contra legem naturalem; aut quovis modo injustam. Et hinc aperte inferitur, Principes nunc posse leges statuere, quibus praecipere eos sceleratos homines morte punire, quos olim lex Moysayca morte puniebat. Nec de his solis, sed de omnibus illis legem mortis statuere possunt, in quibus, juxta legem naturalem, causam mortis iustam invenire valent. Quoniam ea, quae conformia sunt legi naturae, etiam divinae voluntati placere noscuntur. Et ideo, ut legem de homine occidendo iustam esse cognoscere valeamus, prius iustam mortis causam cognoscere oportebit. Causa iustae occisionis duo in se complecti debet. Alterum est res ipsa, pro qua reus occidendus est, quae talem esse oportet, ut vergat in Dei injuriam aut damnum proximi. Quod si nec Deo sit injuriosa, nec proximo quovis modo nocet, res erit profus indigna, ut pro illa quis possit occidi. Alterum quod exigitur, est ex parte ipsius delinquentis, ut videlicet sit incorrigibilis. Nam qui aliter corrigi potest, injuste occideretur: Quoniam poenae semper mitigandae sunt. Si autem in eo delicto, per quod gravis injuria Deo, aut damnum grave inferitur proximo, incorrigibilis est, iuste occidetur, prout supra diximus de membro putrido & insanabili, quod merito abscinditur à corpore, ne reliqua corporis partes ex sua conjunctione inficiat, incorrigibilem autem aliquem esse duplici praesumptione dignosci posse, dicit Henricus de Gandavo, videlicet aut magnitudine delicti, aut ex frequenti illius iteratione. Et ex hoc ostenditur aperte, iustas esse leges, quae in diversis Christiani orbis Provinciis de fure occidendo statuae sunt. Quia etiam in lege Moysayca fur diurnus non praecipiebatur occidi, ex lege tamen naturae constat, hoc in aliquibus furtis licite fieri posse. Nam ipsa lex Moysayca, quae (ut diximus) legi naturae minime repugnabat, licet in furtis minoribus solam instituerit talionis poenam, ut puta dupli aut quadrupli restitutionem, pro gravioribus tamen furtis poenam mortis statuit. Furti vero gravitas aestimabatur dupliciter, aut

Tom. II.

ex ratione rei furtivae, aut ex consideratione personae, in cuius possessione erat, quando furto sublata est. Propter primum, videlicet propter rationem rei furtivae, qui furatus fuisset hominem, & vendisset eum, convictus, lege Moysayca jubebatur occidi (Exod. 21.). Propter secundam causam, quae est consideratio personae, à qua res furto sublata est, Achan lapidatus est: quoniam quae ille in destructione civitatis Jericho, ex spoliis illius spoliatum fuerat, Domino jam dicata erant ex praepcepto Josue ducis eorum, qui antequam civitas caperetur, hoc edictum voce publica promulgavit, dicens: (Josue 6.) *Sic civitas haec anathema, & omnia quae in ea sunt, Domino.* Et paucis interpositis, subdit: *Vos autem cavete, ne de his, quae percepta sunt, quippiam contingatis, & sitis praevagationis rei, & omnia castra Israel sub peccato sint atque turbentur.* Quidquid autem auri & argenti fuerit, & vasorum aeneorum ac ferri Domino consecratur positum in thesauris suis. Hoc dato edicto & satis divulgato, Achan (ut ipse proprio ore postea confessus est) clam suscepit pallium coccineum, & ducentos siclos argenti, regulamque auream quinquaginta siclorum. Quod furtum, cum Josue cognovisset, dixit illi: *Quia turbasti nos, exturbet te Dominus in die hac. Lapidavitque eum omnis Israel, & cuncta, quae illius erant, igne consumpta sunt.* Quamvis itaque lex Moysayca pro minoribus furtis solam talionis poenam statuit, aliquibus tamen majoribus furtis (ut ex dictis constat) poenam mortis inferri iussit. Et inde deducitur, ut in aliis gravibus furtis similis poena possit à lege statui, & ex iudicis mandato inferri. Nam crimina quibus nulla in lege Moysayca fuit poena decreta, constat illa non esse ideo tunc impunita relinquentia, sed erant, ex iudicio naturalis rationis plene. Sicut nunc in lege evangelica nulla est talionis poena, pro aliquo crimine, nec aliqua alia poena alicui crimini, nisi forte homicidio aut adulterio, est in Evangelio decreta. Non tamen ideo consequens est, ut nullum sit crimen praeter homicidium, morte puniendum. Quoniam omnia illa sunt iudicio naturalis rationis commissa. Nec opus est, ut quis iuste possit occidi, habere bullam descendentem de caelo (ut quidam ait) aut specialem dispensationem Dei, quae dispensaverit contra illud praepceptum: *Non occides.* sed satis est, quod talis dispensatio innotescat nobis ex lege naturae, quae à Deo in cordibus nostris impressa est: & ideo (ut supra diximus) ulteriore publicatione non indiget. Ex his omnibus convincitur, posse iuste leges humanas statui de poena mortis pro aliquibus criminibus inferenda, si ex iudicio naturalis rationis illam inferendam esse consiterit, quamvis in lege Moysayca similis poena non fuerit pro tali crimine expressa. Et inde ulterius in particulari infero, iustam esse legem humanam, quae furem diurnum pro gravi furto jubet occidi: quamvis lex Moysayca solum furem nocturnum statuit morte puniri. Gravitas autem furti, ut iuste legis iusta executio fiat, non leviter iudicanda est, sed ex magnitudine rei furtivae (ut diximus) aut ex dignitate personae, à qua res furto sublata est, aut ex ipsius furri frequentia aestimanda erit. Forte contra hoc quis arguet, dicens, oportere nos juxta ea, quae diximus, fateri legem novam esse crudeliorem lege veteri, quod nequaquam dicendum est, cum Christus Salvator noster de lege sua evangelica loquens, (Math. 12.) dixerit: *Jugum meum suave est, & onus meum leve.* Petrus autem de lege Moysayca contrarium docuit, cum illos, qui legem Moysaycam simul cum Evangelio observandam esse dicebant, reprehendit (Act. 15.) sic inquit: *Quid tentatis Deum, imponere jugum suis-*

Zzz

per



sona est, ut puta Joannes, aut Petrus, potest subditus sine peccato mortali continere, parum aestimando illum, & male de illo sentiendo, sed non illi indignando, aut illum convitiis afficiendo. Prima pars probatur, quia multi sunt praelati, quorum ignorantia & malitia est omnibus manifesta, ita quod de illa licite possumus judicare, & propter illam praelatum male aestimare, credendo illum adulterum, aut simoniacum, aut usurarium, si ego talia crimina vidi illum exercere. Nam si hoc non liceret, teneremur necessario saepe falsa pro veris sentire, quod nefas est dicere. Secundam partem proba per id, quod Salvator noster ait: (Matt. 5.) *Omnis qui irascitur fratri suo, reus erit iudicio: qui autem dixerit fratri suo Racha, reus erit concilio: qui autem dixerit fatue, reus erit gehennae ignis.* Si non licet irasci fratri, nec proximum convitiis afficere, consequens est, ut id non liceat adversus praelatum facere, etiam quatenus est talis persona, ut puta Joannes, aut Petrus. Quia quatenus talis est, etiam frater, & proximus est.

Tertia conclusio. Potest subditus sine ullo peccato legem, aut praeceptum superioris continere, iudicando illud malum, & contra rationem. Hanc conclusionem ponit Doctor Subtilis in 4. Sent. dist. 3. q. 4. art. 1. & probat illam eo modo quo nos probavimus secundam conclusionem. Quia nullus tenetur credere rem aliter esse quam est, & constat multorum praelatorum praecepta saepe esse injusta: ergo nullus tenetur credere illa esse iusta, & inde aperte sequitur, subditum posse tunc sine peccato praeceptum praelati contemnere, iudicando illud esse irrationabile. Scetus tamen post praedictam conclusionem, statim subdit, quod licet praeceptum praelati sit irrationabile, & pro tali merito haberi possit, tenetur tamen subditus illud observare. Quod dictum est sane intelligendum, ita ut per praeceptum irrationale intelligatur non illud, quod est contra rectam rationem: quia illud, etiam si praelatus praecipiat (ut supra in primo documento diximus) non est faciendum. Sed per praeceptum irrationale intelligatur praeceptum inutile, quod nulli utilitati servit, ut si praecipiat subdito amphoram aliquam decies implere aqua, & iterum aquam in terram sine ulla necessitate effundere. Et tale praeceptum etiam si irrationale, hoc est, inutile merito censetur, dicit esse necessario observandum. Non tamen puto sic necessarium illud esse, ut si ex industria dimittat, nisi forte cum scandalo, sit culpae mortalis reus.

Quarta conclusio. Non potest subditus sine culpa mortali legem justam, aut praeceptum superioris justum contemnere, iudicando illud injustum, aut graviter indignando illi. Probatur haec conclusio per id quod dicit Elaias Propheta, cap. 5. *Vae qui dicitis malum bonum, & bonum malum, ponentes tenebras lucem, & lucem tenebras: ponentes amarum in dulce, & dulce in amarum.* Ubicumque autem ponitur, vae (ut beatus Hieronymus annotat in Proverbiis, si modo illius, & non potius Bedae sunt illa Commentaria) denotatur culpam esse mortalem in eo, quod sequitur. At, qui legem justam dicit injustam, bonum dicit malum, & lucem tenebras. Et qui legi iustae indignatur, dulce ponit in amarum: ergo sic faciens mortaliter peccat. Et in eodem Elaias, post praedicta verba, statim subditur: *Vae qui sapientes estis in oculis vestris, & coram vobis metipsis prudentes.* Qui legem justam reprehendit, dicens illam esse malam, sapiens est in oculis suis, cum plus sibi quam legislatori tribuit, de quo merito praesumendum erat, etiam si res fuisset dubia, nihil sine

iudicio fecisse: multo ergo magis, cum res est manifeste bona, utpote ab omnibus probata, suam sententiam multo magis iudicio postponere debuisse. Praeterea, Paulus Apostolus de huiusmodi iustis legibus loquens, (Theff. 4.) dixit: *Qui haec spernit, non hominem spernit, sed Deum.* Bene ergo & iuste in hoc sexto documento, diximus, legem humanam justam, etsi non semper obliget sub interminatione gehennae ad faciendum id quod lege decernitur: semper tamen sub eadem interminatione obligare, ut non contemnatur.

## CAPUT VI.

Quod bonum, & iustum sit poenam legibus statuere contra eos, qui legibus non obtemperant, & quales oporteat esse.

Quamquam humanae leges iustae obligent saepe illarum transgressores ad culpam mortalem, multi tamen sunt qui illas transgredi non formidant, propterea quod minimam habent animae suae rationem, aut quia solis praesentibus intendentes, futura minime prospiciunt; aut si prospiciunt, ea tamen non pro suis meritis pensant, quoniam aut nullas, aut multo minores quam vere sint, existimant esse futuras gehennae poenas. Ne igitur ex humanarum legum transgressione ipsa respública, pro cuius recta gubernatione illae conditae sunt, pereat, aut quovis modo deesceat, sive turbetur, iustum, & valde expediens erit, huiusmodi legibus poenam statuere contra illos qui illas non observant, ut quos virtutis amor ad illarum observationem non allicit, aut futurae poenae metus non impellit, praesentis saltem poenae formido ad illarum transgressione deerret. Nam etsi aliqui sint qui oderunt peccare virtutis amore, hi tamen, quia boni, rari sunt. At mali, quorum multo major est numerus, non oderunt peccare, nisi (ut Horatius ait) formidine poenae. Legislator autem (ut supra diximus) quam legem statuit, non respicit ea quae raro, sed quae frequenter, & ut plurimum contingunt, nec paucorum utilitati, sed multorum commodis prospicit. Cum igitur multo plures sint, qui metu poenae, quam qui virtutis amore abstinent à malo, inde apertissime constat saepe necessarium esse poenales leges statuere contra eos, qui legibus non obediunt, ut saltem poenarum timore ad legum observationem cogantur. Hanc sententiam ex aliorum Philosophorum iudicio, & opinione, confirmat, & docet Aristoteles libro decimo Ethicorum, capite nono, sic inquit: Multitudo necessitati potius quam rationi, & poenae quam honestati patet. Idcirco sunt, qui legum latrores oportere censent ad virtutem invitare, ac provocare honestatis gratia, propterea quod ii, qui prohi sunt, ob consuetudinem praecipue obtemperabant; adversus autem inobedientes & hebetiores ingenio, castigaciones, poenaeque instituit: at eos qui curari, atque emendari nequeunt, extrudere, atque exterminare. Probum enim hominem, & ad honestatem viventem, rationi obtemperatum esse inquit: improbum vero voluptatem affectantem, dolore afficiendum esse perinde atque iumentum. Haec enim Aristoteles. Eandem sententiam plenissime confirmat vetus testamentum, in quo multae fuere leges poenales, & quidem acerbae & durae populo illi à Deo datae, ut quia rudis erat, & crassioris ingenii, vexatione illi intellectum dante, metu poenae legibus obtemperare disceret, iuxta id quod Salomon in Proverbiis, cap. 16. ait: *Virga, atque correctio tribuit sapientiam, puer autem, qui dimittitur voluntati suae, confundit*

dit matrem suam. Quibus verbis aperte docet Salomon eos, qui sensibus pueri sunt, quales sunt illi, qui affectu, & non ratione reguntur, non esse suo arbitrio relinquendos, quoniam sic relictis, vix umquam bonum aliquod facient, nec legibus publicis obtemperabunt, & sic rempublica, quae tamquam quaedam illorum est mater, confunditur. Ideo Deus populum illum rudem legibus suis erudire volens, multas illi leges poenales dedit, ut virga, & correctioe tribueret illis sapientiam. De hac enim sola lege, quae poenalis est, ego intelligendum esse censeo id, quod Paulus Galatis scribens, cap. 3. ait: *Lex propter transgressionem posita est.* Quae verba interpretans Theophylactus in Commentariis super Paulum, ait: „Cum fidem laudibus extulisset, ostendisset, quae hanc veritate praecedere: oboritur tamen ex ea re, obiectio quaedam huiusmodi. Cur igitur lex est, si fides erat antiquior, & benedictionem donabat? Respondet, itaque, non frustra id, sed praevocationum gratia fuisse effectum, ut pro frenis esset lex illa Judaeis, quae hos vel à mandatorum quorundam transgressu, etsi non omnium prohiberet. Haec Theophylactus. Eandem interpretationem, sed clarioribus verbis, reddit Anselmus illi Pauli loco, sic inquit: „Nunc ostendit, quare data sit lex. Posita est inquit inter promissionem, & promissam hereditatem, propter illos, qui naturalem legem transgrediebantur, ut vel timore cessarent transgredi, & paulatim erudirentur ad hoc, ut bona ex amore facerent. Haec Anselmus. De sola etiam lege poenali intelligendum esse existimo id, quod in prior ad Timotheum epistola, cap. 1. iterum Paulus ait: *Lex iusto non est posita.* Nam haec verba, si de lege illa, quae seclusa omni poena aliquid de moribus praecipit, intelligantur, vera esse non possunt: quoniam lex illa non minus iusto quam iniusto datur, nec minus ille quam iste ad illius legis observationem tenetur, nec iustus iam esset, si legem non servaret. Inter octo errores Beguardorum, & Beguinarum, qui damnati sunt in Concilio Viennensi, sub Clemente quinto, & recensentur in Clementina, Ad nostram, de Haereticis, tertius illorum est, quod dicebant hominem, qui gradum perfectionis esset assecutus, non esse legibus, aut praecipis humanis subiectum. Multo ergo peius erraret qui diceret, hominem quantumlibet iustum non esse subiectum legi divinae, nec legem divinam esse iusto positam, si de lege morali, quae aliquid de moribus statuit id dictum esse contenderet. Si vero de sola lege poenali, quae contra legis transgressorem poenam aliquam imponitur, illa Pauli verba interpretari velis, tunc apertissime illorum veritas patebit. Iusto siquidem non datur lex poenalis, ut timore poenae cogatur ad legis observationem, quia iustus naturalem legem servans, sibi ipsi est lex, qui virtutis amore, & non timore poenae movetur ad bonum. Et quod de sola poenali lege sine illa Pauli verba intelligenda, aperte docet Chryostomus, qui homilia secunda super priorem ad Timotheum epistolam, haec ait: „Lex enim malis suppliciorum denantiatrix est. Ceterum ei, qui coram deo digna peregerit, ad quid erit utilis lex? Ad nihil profecto, quemadmodum & medicus confecto vulneribus, non sano, neque bona valetudine praedito. Et aliquibus interpositis, subdit: „Cur iusto lex imponitur non est? Quia ille cruciatus superior est: neque à lege, quae sint gerenda, discere sperat, cum habeat intrinsecus dictantem spiritum gratiam: lex enim data est, ut metu, atque comminatione tererentur, ac pec-

care desistant. Nihil igitur freno opus est mansuetis, & obtemperanti equo, nihil instructione opus est ei, qui pedago non indiget. Haec Chryostomus. Ex cuius interpretatione constat, illa Pauli verba omnino convenire cum illis, quae ex Aristotele citavimus, quibus ait: probo homini, & studioso solam exhortationem, aut invitationem ad virtutem esse satis: improbo vero, veluti euidam iumento opus esse flagellis, & aliis cruciatibus. Ob hanc causam Salvator noster, perfectus veritatis Magister, qui viam Dei in veritate docuit, etsi aliquando per blandimenta, & promissiones ad virtutem hortabatur, quia tamen majorem esse stultorum numerum agnoscebat, saepius poenae metum auditorum mentibus incuriebat, ut vel sic eos à vitiis abstinere, & virtutem capessere cogeret. Ex quibus omnibus convincitur, bonum, & aliquando necessarium esse, poenam in ipsis legibus contra illarum transgressores statuere, ut vel poenarum metu homines ad legum observationem cogantur. Denique haec sententia confirmatur per cap. Exigit, de censibus, libro sexto, quod in Concilio Lugdunensi statutum est, sic inquit: Exigit perverborum audacia, ut non firmis sola delictorum prohibitione contenti, sed etiam poenam delinquentibus imponamus. Haec ille. Nec satis est ad legum observationem poenam per legem minari, & illam iudicis arbitrio committere, ut quam ille voluerit transgressori poenam infligat, sed necessarium est saepe poenam ipsam esse expressam, & limitatam: quia quae sic particulariter concipiuntur, magis movent, & terrent improborum hominum mentes, quam si universali conceptu percipiuntur. Et ob hanc causam Aristoteles dixit, sermones universales de virtutibus esse minus utiles. Deinde, simior, & constantior est ipsa lex, & minus potest à rectitudinis defectu, quam iudex, & inde evenire necesse est, ut saepe magis illa timeatur, quam ille. Quae omnia eleganter, & doctissime docet Aristoteles libro primo Rhetoricorum, capite primo, sic inquit: Maxime igitur convenit, ut quae recte posita sunt leges, eundem ipsae explicent, quae explicari queant, & quam minima iudicibus relinquunt. Primum, quia unum, aut paucos prudentes, qui leges ferre, aut iudicare possint, facilius est invenire, quam multos. Deinde, quoniam longi temporis consideratione leges feruntur, iudicia brevissime considerantur, difficile est, ut bene à iudicibus iustum, & conducibile distribuatur. Illud autem omnium maximum est, quod legislatoris iudicium, non de singularibus, nec de praesentibus, sed de universalibus, & de futuris est. Senator vero, & iudex de praesentibus iam determinatisque iudicant. Unde fit, ut cum ament, & oderint, sua quoque utilitas connexa sit, non satis queant veritatem perspicere, sed propria voluptas, vel dolor, iudicia sua obumbrat. Quare minimam ceterorum rerum potestatem iudici tribuendam dicimus: factum vero esse, aut non factum, & fore, aut non fore, esse quoque, vel non esse: haec omnia cum non possit lator legis providere, iudicibus relinquenda necessaria sunt. Haec enim Aristoteles, qui subtilissimis, atque evidentissimis rationibus motus, docet minimum esse iudicis arbitrio relinquendum, sed quod fieri potuerit, omnia esse legibus determinanda.

Quam igitur legislator poenalem aliquam legem condere voluerit summo studio cavere debet, ne poena per legem imponenda sit nimium atrox & crudelis, & quae culpae gravitatem transcendat; sed poena sit semper minor culpa, prout Deus nostra peccata puniens, facit, qui



pender punitio, possit delinquentem poena capitali punire. Abbas in dicto cap. Ex litteris, tenet partem affirmativam, & reprehendit Albericum de Rosato, qui oppositam tuetur sententiam. Sed mihi multo magis aridet sententia Alberici. Quoniam (ut ex verbis Aristotelis supra in hoc capitulo citatis constat) minima sunt, quae iudicis arbitrio relinquere oportet. At mortis supplicium non est inter minima, sed inter maxima computandum. Illud ergo non est iudicis arbitrio relinquendum. Et inde sequitur, iudicem, qui sine lege id praecipiente, aliquem occiderit, peccare, quia faceret contra praecipitum divinum, dicens: *Non occides*. A qua generali prohibitione Theologi, ad quos potissimum divinorum praecipitorum interpretatio spectat, solum excipiunt eos, qui auctoritate legis iuste aliquem occiderint. Nam Augustinus lib. 1. de Civit. Dei, postquam cap. 20. dixerat per hoc praecipitum, *Non occides*, prohibitum esse, ne quis se aut alterum occidat, tandem cap. 21. haec ait: „ Quidam vero exceptiones eadem ipsa divina fecit auctoritas, ut liceat hominem occidi. Sed his exceptis, quos Deus occidi iubet, sive data lege, sive ad personam pro tempore expressa iussione, non autem ipse occidit, qui ministerium debet jubenti, sicut adimiculum gladius est utenti. Et ideo nequaquam contra hoc praecipitum fecerunt, quo dictum est: *Non occides*, qui Deo auctore bella gesserunt, aut personam gerentes publicae potestatis, secundum eius leges, hoc est, iustissimae rationis imperium, sceleratos more punierunt. Et Abraham non solum non est culpatus crudelitatis crimine, verum etiam laudatus est nomine pietatis, quod voluit filium nequaquam scelerate, sed obedienter occidere. Haec Augustinus. In quibus verbis id potissimum annotandum est, quod Dei iussione ab hominis iussione hac ratione distinguit, quod Deus potest jubere occidi, aut per legem ab eo datam, aut per particularem eius iussione ad personam pro tempore expressam. Homo autem etiam personam publicae potestatis gerat, hoc non potest jubere, nisi secundum leges iustas quae secundum iustissimae rationis imperium institutae sunt. Et inde convincitur, iudicem, ubi id lex non statuit, non posse aliquem morte punire, quia faceret contra Dei praecipitum, quod praecipit non occidere. Si tamen casus occurreret talibus circumstantiis vestitus, ut ratio naturalis, juxta ea quae supra in hoc cap. diximus de similitudine corporis humani, merito conferret sceleratum aliquem hominem esse morte puniendum, tunc iudex iuste posset illum ad mortem damnare, quamvis nulla lex scripta esset, quae illum morte plectendum esse censeret. Sed in eo casu illa scelerati hominis occisio, non ex solo iudicis arbitrio penderet, quoniam id ex solo iudicis arbitrio pendere dicimus, quod nulla lege scripta, neque ratione naturali cogente, aut vehementer urgente, convinci potest esse faciendum. Nam si ratio naturalis aperte cogeret, aut vehementer urgeret aliquid facere, iudex inique ageret illud omittens, aut contrarium faciens.

C A P U T VII.

Qualiter Leges poenales sunt interpretanda.

Ostenso legum poenaliu[m] necessitate & qualitate, si mulque declarato qualiter illas exequi oporteat, nunc superest differere, qualiter illae sint interpretandae. Parum enim prodesset, leges iustissimas & sanctissimas statuere, si illae in pravum & a litera valde alienum sen-

sum detorquerentur. De hac re aliqua sunt datae regulae in titulo de regulis juris, lib. 6. quarum praecipua est illa, quae est in ordine illius tituli quadragesima nona, sic dicens: In poenis benignior est interpretatio facienda. Pro cuius regulae veritate tuenda & declaranda, necessarium censui aliqua addere documenta, quae omnem possint dubitationem aut scrupulum tollere.

Primum documentum est, ut advertat lector hanc regulam in sola illa lege esse intelligendam, quae ex vi & proprietate suorum verborum tam variam habere possit interpretationem, ut inde iusta possit oriri dubitatio, quo pacto sit interpretanda. Nam si verbis legis plene circumscriptis, constat illam unam tantum habere significationem, non est vis ulla talibus verbis facienda, ut illa cogantur

mitiorem aut benigniorem sensum reddere, quam vere habeant. Alioqui nulla esset legis poenalis certitudo, si eam quisque posset, etiam vim faciendo verbis, pro libito interpretari. Sed si communis usus diversam servaret vocis significationem ab illa quam vocis proprietates retinet, dubium esset, juxta quam significationem esset interpretanda. Bartholus in leg. Omnes populi, quaestione 6. principali, ff. de iustitia & iure, dicit, leges esse juxta illam verborum significationem interpretandas, qua communis utitur populus, ut colligitur ex leg. Librorum, §. Quod tamen Celsus, ff. de legatis 3. Et tantum valere dicit communem loquutionis usum in examinandis sermonibus, ut illum praefendum esse censet omni regulae, & omni constitutioni contrarium disponenti. Et in leg. Non dubium, C. de legibus, dicit, juxta talem loquutionis usum esse verba legis semper interpretanda, quamvis usus ille repugnet propriae verborum significationi. Tunc enim dicit mentem legis esse, quod intelligamus eam juxta communem usum loquendi, licet sit impropria, & pro hac sententia illo loco post praedictam leg. Librorum, ff. de legatis 3. citat legem. In vulgari, & leg. Ut Aletius, ff. de verbor. significat. Abbas in prooemio Decretalium consentit Bartholo in hac parte, & citat Antonium de Butrio, limitantem hanc sententiam ad sola municipalia statuta, in quibus usum verborum communem tantum faciendum esse dicit, ut quamvis statutum dicat verba debere intelligi, ut jacent, semper illum servandum esse censet. In legibus autem conditis a Jurisperitis, dicit Abbas Antonium de Butrio sentire verba esse interpretanda, non juxta usum, sed juxta propriam verborum significationem. Quod Antonii dictum Abbas pro sua modestia non reprehendit, sed interpretatur, dicens verum illud esse, si usus differens a proprietate vocabuli esset in aliquo loco particularis, & lex esset generalis, tam pro illo loco, quam pro alio, in quo propria servatur vocabuli significatio. Tunc enim dicit Abbas verum esse, quod ait Antonius de Butrio, interpretationem legis esse faciendam juxta propriam verborum significationem, & non juxta usum loquendi, quia usus ille non est communis. Si vero lex esset pro aliquo particulari loco statuta, tunc videtur Abbati legem esse interpretandam juxta usum significationis verborum, qui in illo loco servatur. Et hanc suam sententiam, qua Bartholo consentit, iterum repetit Abbas in cap. Per tuas, de probationibus, quo loco ultra supra dicta addit, communem usum verborum servandum esse in legum interpretatione, non solum in lege favorabili, sed etiam in lege odiosa, qualis est lex poenalis. Ex qua sententia infert Abbas post Joannem Andream, in cap. Fundamenta, de Electione, libro sexto, nepotis nomine in lege poenali debere intelligi, non solum filium filii vel filiae, sed etiam filium fra-

tris vel fororis. Quia etsi propria nepotis appellatio solum filium filii, vel filiam comprehendat, ut dicitur in l. Jurisconsultus, §. Nepos, ff. de Gradibus, communis tamen loquendi usus jam praevaleat, ut filius fratris, vel fororis nepos dicatur. Sic enim, ut Abbas ait, dicitur nepos euljusdam Subdiaconi is, de quo agitur in cap. Accedens, de Accusationibus. Sed revera ex litera illius textus non potest convinci, quod ille, de quo agitur in illo cap. dicatur nepos, juxta impropria[m] illius vocis significationem. Quia nihil de illo ibidem refertur, unde possit aperte probari, illum fuisse filium fratris, aut fororis, sed potius filium filii, aut filiae. Potest adhuc circa legis poenalis interpretationem oriri dubitatio, ex varia vocum significatione, praefertim si quaelibet illarum est illi voci propria & usi servata. Nam si una tantum esset in usu, jam diximus, juxta illam esse leges interpretandas. Deinde, si utraque significatione communis populus utatur, & altera esset propria vocis significatione, altera vero impropria, tunc leges interpretandae erunt juxta illam significationem, in qua legislatoris mentem fuisset verba illa accipere; ex verisimili ratione constare poterit, quamvis talis significatio sit impropria, & quae verborum proprietati repugnet. Nam in simili casu Pedius, de testamenti loquens, dicit, non propriam verborum significationem servari debere, sed in primis quid testator demonstrare voluerit, ut habetur in l. Cum de lanionis instrumento, §. Assum, ff. de Fundo instructo, vel instrumento legato. Et Marcellus Jurisconsultus in l. Non aliter, ff. de Legatis 3. dicit, non aliter a significatione verborum Recedi oportere, quam quum manifestum est aliud sensisse testatorem, quam verba sonare videntur. Toties autem mens legislatoris manifesta esse poterit de significatione suorum verborum, quoties ratio iniquitatis, aut absurditatis vitandae, cogit verba in una tantum significatione sumi: ita ut si secundum aliam significationem verba illa sumerentur, lex illa aperta[m] contineret iniquitatem. Et tunc ea semper significatio, quamvis sit impropria, sumenda est in legis interpretatione, per quam iniquitas omnis, & absurditas legis vitatur, & sine qua talis iniquitas, aut absurditas vitari non posset, propterea dicitur in l. In ambigua voce, ff. de Legibus. Nec mirum videri debet alicui, quod pro absurditate vitanda, a propria vocum significatione sit recedendum, circa legum humanarum interpretationem. Quia in scripturae sacrae interpretatione idem necessario faciendum esse, Sancti Doctores censent. Nam beatus Gregorius in prologo libri Moralium, quae aedit in Job, dicit, quod quando id quod juxta historiam narratur, verum non esse deprehenditur, tunc ratio cogit, ut juxta mysticam vocum significationem sensus verus litterae accipiantur. Et idem docet beatus Hieronymus sapissime, praefertim super cap. 19. Esaiam in principio, & super Psalm. 147. in versu: *Et adipe frumenti satiat te*. Non est ergo mirum, si in interpretatione legum humanarum dicamus, quod pro absurditate vitanda sit recedendum a propria vocum significatione. Pro cuius rei intelligentia ponam exemplum quod ponit Bartholus in l. Non dubium, C. de Legibus. Ponamus legem conditam esse sub hoc verborum contextu, ita dicentem: Quicumque humanum sanguinem in Principis palatio fuderit, capitali sententia puniatur. Si hac lege data Chyrurgus aliquis, medendi causa, alicujus venam secuerit, & sanguinem illius in Principis palatio fuderit, erit ob hoc mercede donandus, tantum abest, ut legis illius transgressor dicendus sit. Quo-

nam illius legis verba non de quacumque humano sanguinis effusione, sed de illa sola quae fit per injuriam homini illatam, interpretanda sunt, nisi velimus talem legem facere iniquam: quod numquam sentire debemus, immo potius e contrario conari oportet, ut quoties ipsi verborum contextus hoc patitur, omnem iniquitatem & absurditatem a lege excludamus. Ex eadem ratione infero, Ecclesiam minime violari per illam sanguinis humani effusionem, quae ad salutis conservationem, ex medici praecipito facta fuerit, per alicujus venae incisionem. Quoniam etsi in capite, Si Ecclesia, extra, de Consecratione Ecclesiarum, vel altaris, dicatur Ecclesiam per sanguinis effusionem pollui, id tamen non de omni sanguinis effusione intelligendum est, sed de illa sola, per quam homini inferitur injuria, aut per quam aliqua contra locum sacrum committitur irreverentia. Alioqui oportet fatei Ecclesiam violatam esse, si in illa brutum aliquod animal hominem percuteret, & illius sanguinem funderet. Hoc autem nullus sanae mentis concedet. Nam iniquum valde, & absurdum esset poenam inferre, non ad praeterita culpa[m] punitionem, nec ad futura[m] cautelam, aut erectionem, nec denique ad alicujus boni executionem. Si de mente legislatoris ex verisimilibus argumentis constare non potest, in qua significatione ille verba legi accepit, tunc ex duobus alicujus verbi significationibus, quarum una est propria, & altera impropria, semper propria significatio sumenda erit, altera relicta, prout dicitur in l. 1. §. Si is qui navem, in versu In re iugur dubia, ff. de Exercicio actione, & in praedicta l. Non aliter, ff. de Legatis 1. Si autem verbum in lege aliqua positum, plures habeat significationes proprias, dicit Bartholus in illa l. Omnes populi, ff. de Iustitia & Jure, illam verbi significationem esse pro legis interpretatione capiendam, quae magis possit subjectae materiae convenire. Pro qua re ille citat legem: Si uno anno, ff. Locati, & conducti, & legem: Si servus plurium, §. finali, ff. de Legatis primo: & apertius suae sententiae favere dicit legem, Quoties, ff. de Regul. juris. Sed si utraque vocis significatio, possit subjectae materiae convenire, & utraque esset propria, & aequae in usu servata, & non possit ex verisimilibus rationibus conjici, qua dillarum legislator fuerit usus, quod tunc faciendum esset? Mihi videtur tunc Principem esse consulendum, quia sicut ille solus potest legem condere, ita ille solus potest interpretationem dare, quae pro lege tenenda sit. Nam de hujusmodi legum interpretatione ego intelligendum puto, quod dicitur in lege, Leges sacratissimae, & lege ultima, C. de Legibus. Si vero lex esset Ecclesiastica, illius interpretatio a Papae petenda esset, ut ab illo semper procedat interpretatio, a quo lex ipsa prodierat, prout dicitur in capite, Inter alia, de Sententia excommunicationis. Caeterum si lex esset poenalis, & aliqua ambiguae vocis significatio possit mitiorem, aut benigniorem facere legem quam altera, existimo illam esse in legis interpretatione capiendam, nec opus esse pro illa causa consulere Principem. Quoniam in tali eventu, & aliis similibus, in quibus iusta potest de vera legis intelligentia quovis modo oriri dubitatio, puto intelligendam esse illam regulam ex libro sexto Decretalium, quae praecipit: In poenis benigniorem esse interpretationem faciendam. Nam ubi nulla potest iusta dubitatio de legis intelligentia haberi, non est (ut a principio dixi) vis ulla verbis legis facienda, ut illa cogantur benigniorem sensum habere, quam vere habeant. Quod autem regula illa in solis rebus dubiis sit intelligenda, aperte convincitur ex alia juris civilis regula, unde illa



sumpta est, quæ habetur ff. de Regulis juris, sub hoc verborum contextu. Semper in dubiis benigniora præferenda sunt. Pro cuius regulæ expositione adducit illic glossa exemplum ex l. Merito, ff. Pro socio, in qua Ulpianus Jurisconsultus censet credendum esse eam, qui societatem cum alio habens, ex re utriusque communi aliquid abtulit, jure potius suo uti, quam furti consilium inire.

Secundum documentum est, ut ea quæ generaliter & indistincte dicta sunt, non restringantur ad specialem aliquem intellectum, pro benigniore legis interpretatione faciendi, nisi forte per aliam legem reperitur ad specialem aliquem, & distinctum intellectum restringi id quod in eadem lege generaliter & indistincte dictum habetur, aut nisi ex illa indistincta generalitate iniquitas aliqua, aut absurditas sequeretur. Hoc documentum adeo certum & infallibile à Jurisperitis censetur, ut jam loco proverbii sit ab illis, sub hoc verborum tenore celebratum. Ubi lex non distinguit, nec nos distinguere debemus. Pro cuius proverbialis sententiæ probatione, multi hinc inde ex utroque jure textus adducuntur, qui illam sententiam aperitissime docent, videlicet l. 3. ff. de Officio Præsidis, l. Imperator, ff. de Postulando, l. De pretio, ff. de Publiciana in rem actione, & cap. Quod si dormierit § 1. q. 1. cap. Solitæ, §. Nobis autem, de majorit. & obedientia. Verum est hoc documentum apertissimis ex utroque jure testimoniis comprobatur, non tamen est usque adeo verum, ut non sit opus aliquas illi addere limitationes, ad illius fuleimentum, & sustentationem, ne veritas illius aliqua ex parte corrumpatur. Primo quidem, illud documentum limitandum est ad eas solas leges, quæ per aliquem aliam specialem legem non sunt restrictæ. Nam si alia specialis sit lex, quæ distincte de aliquo particulari loquitur, tunc lex quæ generaliter & indistincte loquitur, necessario erit restringenda, juxta alterius specialis legis dispositionem. Quia (ut dicit regula juris in sexto) generi per speciem derogatur. De qua re potest dari apertum exemplum ex jure, in l. Sanctio legum, ff. de Penis, ubi Papinianus Jurisconsultus docet, generalem Principis legem præcipientem eum, qui legibus non obedierit, iudicis arbitrio puniri, non esse intelligendam in illis criminibus, quibus specialis poena per legem addita est. Quia (ut idem Papinianus ait) non ambigitur in omni jure speciem generi derogare. Secundo, ad veritatem nostri præfati documenti exigitur, ut nulla iniquitas, aut absurditas ex illa indistincta generalitate sequatur: quoniam si talis absurditas inde aperte sequeretur, necessarium esset, ut ad talem absurditatem vitandam, generalis illa & indistincta eloquutio, ad specialem aliquem, & distinctum intellectum restringeretur: eo enim casu, quamvis lex non distinguat, nos distinguere debemus, ne ullo quovis modo absurditatem, aut iniquitatem in lege contineri patiamur. Hanc sententiam docet Bartholus in l. Furti, §. Pactus, ff. de His qui notantur infamia. Et in sua sententiæ confirmationem profert prædictam l. Furti, in §. Pactus, & citat. l. Aliud, §. Absurdum, ff. de Regulis juris, & l. Quæsitum, ff. de Testibus. Mihi etiam videtur pro ejusdem sententiæ confirmatione, posse adduci Clementinam, Auditor, & Clementinam, Litteras de rescriptis. Ex qua sententia infero Ecclesiam non polli per semen ab homine somnante emissum, quamvis in cap. Si Ecclesia, extra de Consecrat. Eccles. vel altaris, & in cap. Ecclesiis, de Consecrat. dist. 1. dicatur Ecclesiam per quodcumque semen emissum polli, & indigere reconciliatione. Quia licet ta-

les textus generaliter & indistincte loquantur, tamen ad vitandam absurditatem & imprudentiam, necessarium est illos ad solam illam humani feminis emissionem restringere, quæ fit cum peccato, aut cum aliqua sacri loci irreverentia. Hoc ultimum de sacri loci irreverentia ideo addidi, propter Joannem Andream, & Archidiaconum, & summam Pisanam, & summam Angelicam, qui tenent Ecclesiam violari per coitum conjugalem. Quia (ut ajunt) licet talis coitus fiat sine peccato, non tamen sine sacri loci irreverentia. Quando igitur talis irreverentia tolleretur, ut puta si conjuges longo tempore in Ecclesia essent obfessi, & de illicita feminis emissionem sibi ipsis timentes simul conjugerentur, dicunt Ecclesiam tunc non fore violatam, nec egere reconciliatione. Et istorum sententia extenuatur (ut ajunt) ulnis, ego amplector. Quia sicut Ecclesia non polluitur per effusionem sanguinis ad conservationem vitæ corporalis, ut proxime supra diximus, multo justius est, ut illa non polluat per effusionem feminis ad conservationem vitæ spiritualis. Ubi igitur nullum profusum est peccatum, nullaque intervenit irreverentia, non est verisimile Ecclesiam violari, aut sic polli, ut egeret reconciliatione. Et inde consequens est, ut per emissionem feminis ab homine somnante factam, Ecclesia non polluat, quam illa effusio feminis caret omni peccato, & omni irreverentia. Absurdum enim esset dicere, per opus quod omni caret arbitrii libertate, Ecclesiam posse violari. Ut igitur omnem absurditatem à Jure Canonico propellamus, necessarium est, ut textus illos supra citatos, qui de omni feminis effusione generaliter & indistincte loquantur, ad solam illam humani feminis emissionem restringamus, in qua aliquod intervenit peccatum, aut aliqua irreverentia. Alioquin oporteret dicere per coitum brutorum animalium Ecclesiam etiam violari. Nam textus illi supra citati, non de solo humano femine, sed de quovis femine generaliter & indistincte loquantur. Absurdum autem & ineptum esset dicere, Ecclesiam ex coitu brutorum animalium sic polli, ut egeret reconciliatione. Et idem dicendum est de effusione sanguinis cujusvis animalis bruti, Ecclesiam minime per illam polli, quamvis textus illi indistincte loquantur de omni sanguinis effusione. Et hoc annotavit glossa in capit. unico, de Consecrat. Ecclesiæ, vel alta, libro sexto. Quæ glossa etiam dicit Ecclesiam minime violari per effusionem sanguinis in Ecclesia factam, quando vulnus, unde illa sanguinis effusio processit, fuit extra Ecclesiam illatum. Absurdum enim esset dicere, Ecclesiam esse violatam propter eam rem, per quam nulla profus est injuria illata. Si quis autem extra Ecclesiam fundat, nullam per hoc injuriam infert Ecclesiæ: absurdum igitur esset dicere illam inde violatam fuisse. Ne igitur has, aut similes absurditates in jure admittamus, necessarium erit aliquando generales & indistinctas loquutiones ad specialem aliquem, & rationi consonum intellectum restringere. Hæ sunt duæ limitationes, quas mea sententia prædicta secundo documento addere oportet, quibus additis, firma & stabilis semper illius sententia permanebit, ut quod lex generaliter & indistincte disponit, numquam nos ad specialem aliquem intellectum restringamus, pro benigniore legis interpretatione faciendi. Ex quo secundo documento aliqua infero corollaria, contra quorundam Canonistarum sententiam.

Et primo infero falsum esse, quod Joannes Calderinus in consiliis suis, titulo de Hæreticis, consilio tertio, ait: Catholicos filios hæreticorum, qui antequam pater

laberetur in hæresim, nati sunt, non esse notandos infamia, aut aliqua alia poena, ex his quæ jura contra filios hæreticorum statunt puniendos. Quia in cap. Statutum, §. Hoc sane, & in cap. Filii, de Hæreticis, libro sexto, Papa loquens de filiis hæreticorum generaliter & indistincte loquitur, nec ullum ponit inter illos discrimen, per hoc quod ante patris hæresim, aut post nati sunt, sed per solam parentum pertinaciam eos distinguit, per hoc videlicet, quod illorum parentes usque ad mortem in sua hæresi obstinati permanerunt, aut de suo errore ante mortem resipiscerent, ad Ecclesiæ Catholicæ unitatem redierunt. Nam in illis prædictis capitulis est aliqua irrogentur poenæ catholicis filiis hæreticorum, qui usque ad mortem in hæresi persistunt, ab hujusmodi tamen poenis filios eorum hæreticorum excludit, qui ante mortem ab hæresi recesserunt. Cum ergo nec Jus Canonicum, nec Jus Civile ponat ullum discrimen inter catholicos filios hæreticorum, qui ante parentum hæresim, aut post nati sunt, convincitur inde apertissime, eos omnes pari lege puniendos esse. Quia (ut jam diximus) ubi lex non distinguit, nec nos distinguere debemus, etiam si sit pro benigniore legis interpretatione faciendi. Hoc tamen argumentum Joannes Calderinus solvere conatur, sic dicens: Quamvis jura indistincte de filiis hæreticorum loquantur, quia tamen non est eadem ratio in omnibus hæreticorum filiis, ideo necessario distinguere oportet, filios hæreticorum qui ante patris hæresim nati sunt, ab illis qui postea sunt orti. Diversitas autem rationis (ut ille ait) in hoc consistit, quod filii qui postea nascuntur, procedunt à sanguine patris infecto, & ideo merito suspicandam est, tales illos fore, quales parentes eorum fuerunt. Filii vero qui ante patris hæresim nati sunt, quia nondum paternus sanguis erat tali morbo infectus, immerito creduntur eodem errore paterno esse maculati. Sed inanem profus esse hanc diversitatis rationem, inde apertissime constat, quod non omnia peccata oriri possunt à mala carnis inclinatione, sed sola illa quæ aliquam habent cum ipsa carne vicinitatem. Sunt enim aliqua peccata pure spiritualia à carne profus adeo aliena, ut illa omnia caro profus abominetur, tantum abest, ut illa quovis modo parere, aut nos ad illa propensos reddere valeat. Nam (ut alia multa peccata omittam) ambitio hypocritarum, qui jejuniis, & aliis afflictionibus carnem suam extenuant, ut aliquos inde honores venari possint, peccatum est longe à carne alienum, & quod ipsa caro acriter abominatur. Si quis igitur in hanc incidere hæresim, ut diceret bonum & sanctum esse, pro honore mundano adipiscendo carnem suam affligere, nullus sane mentis diceret talem hæresim à carne, aut sanguine humano ortum habuisse, nec per illam hæresim carnem, aut sanguinem ejusdem hæretici infectum fuisse. Male ergo suspicari licebit, hujus hæretici filium, etiam si post crimen patris natus sit, paternam hæresim esse maculatam, propterea quod à sanguine patris infecto descendit. Si peccatum illud à carne haberet ortum, aut hæresim illa circa ea quæ sunt carni amica, verifateretur, merito credi posset, filium à sanguine patris infecto descendentem, eodem vitio quo pater esse involutum. Hoc tamen in multis hæretibus, quæ de rebus pure spiritualibus, & à carne profus ignotis tractant, minime fieri licebit. Quamvis enim aliquis unam tantum in divinis diceret personam, ut Sabellius, aut filium minorem pater affereret, ut Arius, aut duas in Christo doceret esse personas, prout docuit Nestorius, non esset justum ut paterni, hoc est, hæretici criminis exempla metuantur in filiis, qui post patris hæ-

resim nati sunt, ob hoc solum quod à sanguine patris infecto processerunt. Nam hujusmodi hæreses non habent ortum à mala carnis inclinatione, sed solum oriuntur ab animæ superbia, qua qui illas pertinaciter tenet, plus suo ingenio quam toti Ecclesiæ tribuens, non vult se Ecclesiæ definitioni subicere, sed suam sententiam obstinate defendere. Constat autem filios solum carnem à parentibus suscipere, & non animam quæ à solo Deo corpori infunditur. Et inde necessario consequens est, ut licet justa possit esse suspitio, filios esse pronos ad eadem peccata carnalia, quibus parentes eorum fuerunt infecti, non tamen eadem ratione justum erit idem suspicari de peccatis spiritualibus, cujusmodi est illa hæresis quæ nullam à carne trahit originem. Hac igitur ratione ego motus in opere illo, quod de justa hæreticorum punitione addidi, quum de infamia hæreticorum quæ ad filios usque protenditur, differerem, non dixi hanc esse unicam causam, quod illa usque ad filios derivetur: quia illi corporis complexionem, & proinde inclinationes ad vitia, à parentibus suscipiunt; sed alias addidi rationes, quæ multo magis urgere mihi videbantur. Amor siquidem quo filii erga patres suos afficiuntur, hoc efficere solet, ut illi fere semper procurent mores paternos imitari. Hic autem amor, cum non varietur, aut distinguatur in filiis, per hoc quod ante, aut post nati sunt, apertissime convincitur inde, ut in crimine hæresis, quod non semper à carne oritur, nullum profus sit inter filios hæreticorum ponendum discrimen, per hoc quod ante aut post crimen à patre commissum nati sunt, præsertim cum jura quæ de filiis hæreticorum loquuntur, nullam tale inter illos ponat discrimen. Est adhuc alia urgentissima ratio, propter quam catholicis filiis hæreticorum, tor poenæ sunt à jure inflicte, ut videlicet: hæc via criminis gravitas declaretur, & aliis timor incutiat. Nam propter hanc solam causam sæpe ultio parentum ad filios extenditur, prout in filiis illegitimis aperte constare potest, qui sine culpa sua, non tamen sine causa ad paterni criminis detestationem, à ministerio altaris prohibentur. Quæ ratio quum pares vires habeat in omnibus hæreticorum filiis, convincitur etiam inde, nullum esse ponendum inter illos discrimen, quia (ut sæpe jam diximus) ubi lex non distinguit, nec nos distinguere debemus. Sunt tamen quedam argumenta, quæ Joannes Calderinus affert pro suæ sententiæ confirmatione, quibus ego facillime respondebo in tertio documento, quod postea subjungam, & ibi apertius ostendam, illum debillissimo fuisse innixum fundamento.

Secundo infero, quod propter quamlibet sanguinis humani effusionem, cum injuria & violentia in Ecclesia factam, Ecclesia manet polluta, & indiget reconciliatione. Nec opus est distinguere an sanguis sit modicus, aut multus, nisi forte tam modicus esset, ut merito posset pro nihilo reputari. Nam si una tantum, aut forte altera sanguinis gutta effunderetur, non putarem Ecclesiam esse violatam, & egere reconciliatione, quia illa tam modica sanguinis effusio pro nulla est reputanda, juxta commune proverbium, quod sic ait: quod parum distat à re, nihil distare videtur. Per hanc autem interpretationem nullam facimus legi injuriam, neque illam à vero illius sensu detorqueamus. Non est enim justum ut leges humanas strictius & rigidius interpretemur, quam leges divinas. Ad leges divinas sic interpretandas esse omnes Theologi docent, ut minima quæque propter materiam (ut dicunt) imperfectionem à rigorosa legis obligatione secludantur. Si quis enim furto surriperet unum tantum papyri folium, aut unam



unam mulieris aciculam, hoc animo, & hac intentione, ut quamvis plura inveniret, non caperet: nullus sanæ mentis dicit illum peccasse mortaliter. Quia licet contra præceptum divinum fecerit, propter rei tamen imperfectionem & parvitatem, excusatur à rigorosa præcepti obligatione. Eodem modo in legibus humanis interpretandis agere oportet. Nam ob hanc causam, qui die dominico post dictum à sacerdote Missæ introitum, accedit ad Missam, & reliqua usque ad finem audit, præcepto Ecclesiæ satisfaciunt: quia modicum illud quod deest integritati Missæ, pro nihilo reputatur. Idem etiam dicendum est in sanguinis effusione, qui si tam modicus sit, ut merito sit pro nihilo reputandus, non violabit Ecclesiam. Si vero major sit effusio, quamvis sit modica, semper violasse dicitur. Et hoc est contra Abbatem in cap. Proposuit, de consecrat. Eccles. vel altar. ubi dicit, per modici sanguinis effusionem Ecclesiam minime violari, nec ulla egeret reconciliatione. Quia verbum effusionis (ut ille ait) denotat abundantiam. Et idem tenet glossa in cap. unico de consecrat. Eccles. vel altar. lib. 6. Sed hæc Abbatis sententia aperte convincitur esse falsa, ex his, quæ secundo documento supra tractata sunt. Nam in cap. Si Ecclesia, de consecrat. Eccles. vel altar. Gregorius Papa nonus docet, Ecclesiam pollutam esse per sanguinis humani effusionem, nec distinguit, an sanguis sit modicus, an copiosus. Et in cap. Ecclesiis, de consecrat. dist. 1. idem decernitur, absque ulla profusio modici aut multi sanguinis distinctione. At ubi lex non distinguit (ut jam sæpe diximus) nec nos distinguere debemus, etiam si sit ad benigniorem legis interpretationem faciendam. Sed Abbas ad suæ sententiæ probationem dicit, textus illos supracitados non generaliter loqui, sed distincte, de sola abundanti & copiosa sanguinis effusione, quia verbum effusionis (ut ille ait) denotat abundantiam. Pro qua sententia citat glossam, quam dicit esse notandam, in cap. Cum illorum, §. Quod si claustrales, de sententia excommunicationis. Si ad probationem veram & legitimam illius vocis significationem, citasset mihi Cicero, aut Quintilianum, aut Plinium, aut Titum Livium, aut quemlibet alium ex primoribus lingue Latine, facile crederem. Deinde, si pro ea re, quæ ad solam juris canonici peritiam spectaret, mihi glossam citaret, forte lubens succumberem, aut si me ratio aliqua cogeret, ut ab illa discederem, cum reverentia illam rejicerem. Sed cum confet glossatorem Decretalium, etiam si in jure canonico doctissimus fuerit, barbarum & vix latine loquentem fuisse, quales sunt fere omnes juris canonici tractatores antiqui, non possum non ridere, cum ad probationem propriam vocis significationem illam mihi in testem adducat. Certe si viros in lingua Latina peritissimos consulere volumus, inveniemus non solum in abundantia, sed etiam in rerum parvitate, illos effusionis nomine esse usos. Fateor quidem hanc vocem, cum vitium liberalitatis oppositum designat, significare abundantiam & quandam rei consumptionem. Cicero in Philippicis. Cæsar patrimonium suum effudit, quamquam non sumus usi eo verbo, quod deest: non enim effudit, sed in salutem reipublicæ collocavit. Quibus verbis aperte docet, non omnem largitatem, aut omnem abundantiam rei consumptionem, dici recte effusionem, sed eam solam quæ vitiose fit. Non tamen in hac sola significatione est hujus vocis usus: quia aliquando sumitur effundere pro extendere, aliquando pro spargere, aut omnem abundantiam, aut ex juris regula non significare semper abundantiam, convincitur inde aperitissime per omnem humani sanguinis

umquam, neque effunditur. Quo loco posuit effundere, pro extendere. Idem in oratione pro Lucio Flacco. Vox in coronam turbamque effunditur. Idem in lib. de Oratore posuit effundere pro emittit, aut producere, sic inquit. Seregete fecunda effundunt herbas inimicis frugibus. Et juxta hanc significationem capimus hoc verbum effundere, cum de sanguinis effusione loquimur. Sed tunc non magis abundantiam, aut largitatem significat, quam reliqua verba, pro quibus ponitur, aut quibus in significatione consentit. Hoc autem vel ex eo convincitur, quod aliquando viri eloquentissimi post verbum effusionis addunt nomen aliquod abundantiam designans, quod non fecissent, si solum verbum effusionis ipsam denotaret abundantiam. Eset enim inanis verborum repetitio, quæ pro vicio notari solet, & à Græcis vocatur *tandogia*. Cicero in oratione pro Cneo Plancio, prope finem ad ipsum Plancium verba referens, ait. Tameo, ne nihil tibi præter lacrymas queam reddere, quas tu in meis acerbitatibus plurimas effudisti. Quid, quæso, opus erat addere plurimas, si solum verbum effusionis ipsam & abundantiam significaret? Sed omisit prophanis scriptoribus, qui sæpe plura, quam oporteat, verba expendunt, à sacris literis testimonia petamus, in quibus nec ullum est verbum superflue positum. Deus ad Regem David loquens (2. Paral. 21.) ait: *Multum sanguinem effudisti, & plurima bella bellasti, non poteris edificare domum nomini meo, tanto effuso sanguine coram me.* Si verbum effusionis abundantiam ex se solo significaret, non fuisset opus dicere, multum sanguinem effudisti, sed satis fuisset dicere, sanguinem effudisti. Et Paulus ad Titum scribens cap. 3. ait: *Secundum suam misericordiam salvos nos facit, per lavacrum regenerationis & renovationis Spiritus Sancti, quem effudit in nos abunde.* Ecce vides post verbum effusionis additum esse adverbium denotans abundantiam, quod esset superflue additum, si ipsum verbum effusionis, ex sua propria significatione semper denotaret abundantiam. Sed quia verbum hoc, ut significat spargere, aut emittit, non solum abundantiam, sed etiam paucitatem aut paucitatem designat, ideo post verbum effusionis additur sæpe nomen, aut adverbium abundantiam significans. Deinde, si ipsa verbi compositio recte inspicitur, aperte quod dico intelligitur. Effundo siquidem verbum compositum est, ex hoc verbo fundo, & præpositione ex, cujus ultima littera x, in compositione transit in f, ob quam causam hoc verbum effundo, scribitur per duplex f. Sicut igitur fundere non denotat semper abundantiam, ita nec effundere, quod ex illo componitur. Nam effundere idem est, quod extra fundere, aut ex aliquo loco fundere. Et certe si Petrus è naribus modicum sanguinem, utputa tres aut quatuor illius guttas demitteret in terram, nullus nisi lingue Latine ignarus, diceret male latine dici Petrum effudisse sanguinem. Nam sicut fudit, ita etiam effudit. Non enim differt unum ab altero propter paucitatem aut abundantiam: & ideo sæpe unum pro altero ponitur. Pro qua re apertum est testimonium id, quod in Genesi cap. 7. Deus ait: *Quicumque effuderit humanum sanguinem, fundetur sanguis illius.* Quibus verbis (ut constat) legem talionis Deus statuens, pro sanguine effuso jubet alterius sanguinem fundi. At si magis esset effundere, quam fundere, non integre retaliaret. Quia pro majori damno minor daretur compensatio. Cum igitur ex his omnibus aperitissime confet, verbum effusionis ex sua propria & legitima significatione, aut ex juris regula non significare semper abundantiam, convincitur inde aperitissime per omnem humani sanguinis

nis injuriosam, aut irreverentem effusionem in Ecclesia factam, Ecclesiam esse pollutam, & egeret reconciliatione, quamvis sanguis effusus sit modicus, nisi (ut dixi) tam modicus esset, ut merito esset pro nullo censendus. Quia cap. illud, Si Ecclesia, & cap. Ecclesiis, de omni sanguinis effusione loquuntur, nec distinguunt, an sanguis effusus sit modicus, aut multus. Ex quo etiam infero contra glossam in cap. Cum illorum, §. Quod si claustrales, extra de sentent. excommunicat. quod si monachus aliquis alium ejusdem claustrum monachum percussisset usque ad sanguinis effusionem, non poterit ex juris canonici ordinatione per suum Prælatum absolvi, sed requirenda erit necessario sedes Apostolica, quamvis sanguis effusus sit modicus, nisi forte tam modicus sit, ut merito sit pro nullo æstimandus: quoniam tunc propter imperfectionem materiz (ut supra de violatione Ecclesiæ diximus) à legis obligatione excluditur. Nam illud prædictum capitulum, in quo absolutio à sanguinis effusione reservatur sedi Apostolicæ, generaliter loquitur, nullam profusum inter modicum aut multum sanguinem distinctionem faciens. Ubi autem lex non distinguit (ut jam sæpe dictum est) nec nos distinguere debemus, quamvis sit pro benigniore legis interpretatione facienda. Et certe si juxta opinionem Abbatis & glossæ textus, illi essent interpretandi, sæpe illorum canonum sententia esset incerta: quia non ex solo jure penderet, sed necessarium esset Judicis sententiam expectare. Nam cum non sit lege definitum, quantus sanguis sit censendus modicus, & quantus sit dicendus multus, in multis casibus oporteret expectare sententiam Judicis, ut decerneret an sanguis effusus sit modicus aut multus. Et quia Judicio æstimatur modicus, ab illo judicetur esse multus: & inde necessario evenit, ut propter eandem sanguinis mensuram effusam in diversis Ecclesiis, una sit violata, & alia non: quia unus Judex in una Civitate judicabit sanguinem effusum esse modicum, & ejusdem quantitatis sanguinem judicabit esse multum Judex alterius Civitatis. Ne igitur in his perplexas absurditates incidamus, necessarium est, ut quæ generaliter dicta sunt, generaliter interpretentur. Sed glossa in illo cap. Cum illorum, volens probare verbum effusionis significare semper abundantiam, citat capitulum Revertimini, quod ponitur 16. q. 1. Nam illic Hieronymus, cujus est textus ille, hæc ait: „ Verbum effusionis nomen largitatis ostendit. Hæc ille. Sed revera dictum illud Hieronymi, si recte illius verba circumspectantur, aperte favet meæ sententiæ, tantum abest, ut mihi ullo pacto contradicat. Nam illa verba dicit Hieronymus in commentariis super Malachiam Prophetam, interpretans illud ejusdem Prophetæ cap. 8. *Probata me super hoc, dicit Dominus, si non aperuero vobis catinas cæli, & effundero vobis benedictionem usque ad abundantiam.* Et hæc verba exponens, dicit: verbum effusionis nomen largitatis ostendere. Fateor quidem in illo Malachie loco, quem Hieronymus interpretatur, verbum effusionis significare, aut ostendere largitatem; hoc tamen non facit ex se solo, & ex sua propria & primæva significatione, sed ratione nominis illi postea additi quod significat abundantiam. Nam alias, si ex solo verbo effusionis talis oniretur significatio, non opus erat post verbum effusionis addere usque ad abundantiam: sed satis erat dicere, & effundero vobis benedictionem. Hieronymus igitur non generaliter loquitur, quod verbum effusionis ostendat largitatem, sed solum in illo Prophetæ loco, quem interpretabatur, ubi post verbum effusionis additur nomen

abundantiæ, ad denotandam Dei largitatem. Sed inde nullo pacto licet inferre, ut verbum effusionis ubicunque absolute ponatur sine nomine denotante abundantiam, significet copiam & largitatem.

Tertium documentum est. Lex penalis nunquam extendenda est ultra crimen aut personam, aut denique ultra casum in lege expressum: quamvis in aliis criminibus, aut in aliis casibus eadem ratio inveniatur, quæ invenitur in casu per legem expresso. Et hinc est, quod in legis pœnalis interpretatione non licet arguere per argumentum à simili, quod alias non parvam vim apud Jurisperitos habere solet. Hoc documentum de lege pœnali intelligendum esse volo, & illi soli esse peculiare: in aliis autem legibus aliquando contrarium agere licet. Nam glossa in leg. Si constante, ff. soluto matrimonio, dicit, legem extendi posse ultra casum in lege prolatum, si in alio casu eadem inveniatur ratio, quæ invenitur in casu per legem expresso. Dinus in regula, in argumentum de regulis juris, libro 6. consentit prædictæ glossæ, dicens eam veram esse, quando lex absolute loquitur, & non cum dictione exclusiva, quæ reliquos omnes casus excluderet. Alioqui, si lex cum restrictione aliqua aut exclusionis loqueretur, injustum esse dicit, ut ad casum per legem non expressum extendatur. Bartholus in prædicta leg. si constante, quaestione nona, Dini sententiam rejicit, & utrumque illius dictum impugnat. Abbas in cap. Translato, de constitutionibus, dicit, legem posse extendi ad alium casum similem in lege non expressum, propter similitudinem rationis, nisi casus ille similis habeat aliam specialem legem contrariam. Quia extensio legis (ut ille ait) nunquam debet fieri ad legis correctionem. De hac re ego nihil differere volo, propterea quod longè est ab instituto meo, quod de sola lege pœnali dicere statui. De hac igitur sola ego differens, dico, illam non esse extendendam ultra casum in lege expressum, etiam si in alio casu eadem inveniatur ratio, quæ invenitur in casu per legem definito. Pro hujus documentum probatione est cap. Pœnæ, de pœnitent. dist. 1. cujus hæc sunt verba: Pœnæ legum interpretatione molliendæ sunt, potius quam nimis exasperandæ, atque ideo proprium casum non excedunt. Hæc ibi. Ex hoc dicto inferit glossa in cap. In pœnis, de regulis juris, libro sexto, argumentum à simili non valere in pœnis. Causam autem quare argumentum à simili aut ab identitate rationis, non valet in lege pœnali, cum tamen in aliis legibus valeat, glossa illa non exprimit; ego tamen apertam & efficacem reddam, quæ est hæc proxime sequens. Aliæ leges adeo pendent ex ratione, ut ratio legis dicatur esse mens illius: Nam Panormitanus in cap. finali de rescriptis, dicit, legem non esse aliud quam rationem ejus. Et idem docet Baldus in leg. Non dubium, C. de legibus. Et hinc evenit necesse est, ut ubicunque illa eadem inveniatur ratio, ibi etiam eadem habeatur lex: quia nisi ita fieret, necessario consequens esset, ut aliud esset lex, quam ratio ejus. Lex autem pœnalis non omnino pendet ex ratione, sed etiam pendet ex sola legislatoris voluntate, quatenus certam aliquam pœnam decernit. Nam licet ex recta & cogente ratione procedat, quod crimina puniantur, nulla tamen recta ratio cogit, ut tale aut tale crimen, hac aut illa pœna puniantur, sed hoc ex sola legislatoris voluntate pendet, quæ etsi aliquam habuerit congruentem rationem, non tamen necessario cogentem, ut talis pœna potius quam alia statuatur. Et hæc meo judicio sunt, in quibus legislator recte dicere potest: Sic volo, sic jubeo, sit pro ratione voluntas. Quia in his non est ab illo exigenda ratio, cur potius